ſus reſacrare ſunt coacti, qui eum devoverant, pilæque illæ, in A quibus devotio fuerat ſcripta, in mare præcipitatæ. *Prob. in Alcib.*

Apud Viſeum civitatem Portugalliæ inſcriptus tumulus invenitur continens execrationem Juliani Comitis. Hic jacet Rodericus ultimus rex Gothorum. Maledictus furor impius Juliani, quia pertinax, & indignatio, quia dura, veſanus furia, animoſus indignatione, impetuoſus furore, oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor divinitatis, crudelis in ſe, homicida in Dominum, hoſtis in domeſticos, vaſtator in patriam, reus in omnes, memoria ejus in omni ora amareſcet, & nomen ejus in æternum putreſcet. *Roder. Tol. lib.3. rerum Hiſp. cap.19.*

Joco.

Soſibiano *Martialis Epigram. lib.4.* mortem jocosè, & argutè imprecatur:

Plena laboratis habeas cùm ſcrinia libris,
Emittis quare, Soſibiane, nihil?
Edent hæredes, inquis, mea carmina, Quando?
Tempus erat jam te, Soſibiane legi.

QUANDO.

B Ἀρὰς ἐπισπεῖραι, id eſt, Execrationes ſerere dicebantur, qui diris devoverent aliquem: inde natum, quòd apud Cyprios eſſet ſolemne, quoties ſererent hordeum, addito ſale devovere, quibus malè vellent. *Heſychius, & Eraſm.*

QUÆ MALA.

In genere.

Ædes extruere, & equos alere, ſumptuoſa eſſe videntur: id quod Laconica compertum eſt execratione tali: Οἰκοδομὰ σε λάβοι, καὶ ἀμβολὰ, ὃ, σε ἵππος, καὶ ἁγυνά τοι μοιχὸν ἔχοι, id eſt, Ædificatio te occupet, procraſtinatio, & equorum alimonia, & uxor tua adulterum habeat. *Suidas in voce, οἰκοδομή.*

Lacones imprecationibus nil aliud adiiciunt, quàm ut poſſint lædi. *Plut. de juſt. Lac.*

Diabolum.

An.1551. in Germania Vvilſtadienſi agro Mulierem, quæ indeſinenter jurabat diabolum, cacodæmon toto populo ſpectante ſuſtulit: ſimiliterque Hoſpitem crumenam hoſpitis, qui ad ſe diverterat, furatum, & ſe in jure dedentem diabolo, ſi res ita eſſet, rapuit diabolus, teſte *Viero de præſtigiis.* De Puero aliud narrat *Fernel. lib. de Abditis rerum cauſis* repentè ſublato, cùm diabolum accerſeret.

Malam conſuetudinem.

C Cretenſes, cùm acerbiſſima execratione adversùs eos, quos vehementer oderunt, uti volunt, ut mala conſuetudine delectentur, optant. *Valer. lib.7. c.2.*

Munerum talionem.

Olympia poſt Antipatri obitum Polyperchontis auxilio ab exilio reverſa in poteſtatem redegit Euridicen, cum Philippo Aridæo, Philippi Amyntæ F. & concluſis in exiguo loco per anguſtum receptaculum neceſſaria ſuppeditabat. Philippo tandem miserè excarnificato Eurydici gladium, laqueum, & cicutam miſit, optione data, quonam iſtorum vellet uteretur ad mortem. Eurydice comprecata deos, præſente eo, qui attulerat, ut Olympiadi talia dona evenirent, cùm ſe cingulo ſuſpendiſſet, finiit vitam. *Diod. lib.19.*

Saltationem.

Henrico I. imperante, Presbyter in Magdeburgenſi ditione ipſo Nativitatis pervigilio ſacris operatus, ruſticis in cæmeterio choreas ducentibus, nec quamvis moniti eſſent, deſiſtere volentibus, ut integro anni ſpatio ſaltarent, ipſis imprecatus eſt. Itaque confeſtim inſano ſtupore correpti, attonitis ſimiles, anni curriculum ſaltando exegerunt, cibi, potus, ſomD ni, omnis denique ſenſu expertes, nec rore, nec nive, nec pluvia cœlitùs rigabantur. Anno exacto cùm Archiepiſcopus ſpiritualem nexum ſolviſſet, partim exanimes concidere, partim profundo opreſſi ſomno vix tandem ad ſe rediere, inſolito tremore toto reliquo vitæ tempore exagitati. *Vincentius lib.25. cap.19. & Nauclerus.*

Sterilitatem.

Cosmas Atticus Patriarcha, patria Ægineta, cùm in honore ob eximias virtutes eſſet, apud Manuelem Comnenum Imp. accuſatus eſt, quaſi in Iſaacium fratrem illius imperium transferre cogitaret. Solio itaque, ſub prætextu familiaritatis cum Nephono monacho, perverſæ opinionis in religione ſuſpecto, deturbatus, Imperatricis uterum execratus eſt, ne mares liberos pareret. *Nicetas lib.2.*

Πολυτεκνίαν.

Margarita Florentii Comitis Hollandiæ filia, muliercu- B lam ſtipem petentem, & gemellos in ulnis geſtantem acerbè increpavit: neque eam uno partu duos producere potuiſſe; niſi duorum quoque virorum commercio eſſet uſa, affirmavit. Mendica precibus à Deo contendit, ut in ſignum pudicitiæ ſuæ Comitiſſa gravida tot pareret infantes, quot eſſent in anno dies. Preceſque exauditæ fuerunt. Nam exacto geſtationis tempore anno M.CCLXXVI. ætatis ſuæ 42. ipſo die Paraſceves Margarita peperit CCCLXIV. infantes, partim mares, partim fœmellas, *Lud. Vives. Eraſ. Rot. & Lud. Guicc. in Topographia Flandriæ.*

Mortem inſolentem.

Popielus I. Polonorum princeps execrandi formula hac crebrò utebatur, Niſi hoc ſit, à muribus devore. Succeſſit ei filius ejuſdem nominis, qui propter crudelitatem in proceres à muribus cum uxore, & liberis devoratus traditur. *Alex. Guagninus in vitis regum Poloniæ.*

Henricus de Suvartzberg Comes, habebat in proverbio, Si hoc fecero, mergar in latrina. Ominoſa vox fuit. Nam anno 1184. Erfordiæ in cœnobio Dominicanorum, cœnaculi pavimento præ pondere hominum ruente, cum multis aliis nobilibus in ſubjecta cloaca periit: ipſe Imp. Fridericus I. vix ad cla- F thros feneſtræ ferreos adhærens ſervatus eſt. *Crantz. lib.6. Saxoniæ, c.45. & lib.7. Metrop. c.8.*

Mortis difficultatem.

Hadrianus Imp. Severianum, & Fuſcum hujus nepotem, eò quòd moleſtè ferre viderentur, L. Commodum imperii ſucceſſorem deſignatum, juſſit occidi: quorum ille nonagenarius erat, hic annos natus decem, & octo. Senex autem, cùm eſſet jugulandus, popoſcit ignem: incenſoque thure dixit: Vos dii teſtor, me nihil ſceleris commiſiſſe: nec aliud imprecor Hadriano, niſi ut cum volet, mori non poſſit. Idque evenit, adeò ut barbarus conductus, qui ferro mortem pro beneficio daret, aufugerit. *Suet. & Dion.*

Partum monſtroſum.

Nobilis quidam Germanus magiæ nomine infamis in uxorem exardeſcens, cùm imprecatus eſſet, ut diabolum pareret, illa peperit monſtrum aſpectu horridum. *Bodinus lib.7. cap.7. Dæmon.*

Naufragium.

Horatius *ode* 10. *Epodon* imprecatur Mævio poetæ, æmulo ſuo navigaturo ſubitam tempeſtatem, & tale naufragium, qua- G le paſſi ſunt Græci in monte Caphareo, ob vitiatam ab Ajace Oilei filio Minervæ ſacerdotem, cùm à Trojæ excidio reverterentur.

Damnum fortunarum.

Cùm Pauper quidam circiter annum Domini 606. à nautis eleemoſynam petiiſſet: illi verò reſpondiſſent, ſe nihil præter lapides habere: mendicus, inquit: Omnia ergo quæcunque manducabilia ſunt in navi, vertantur in lapides. Itaque lapidum duritiem omnia ſortita ſunt, licèt & color, & forma illis rebus manſiſſet priſtina. *Sigebertus in Chronico.*

Iter infelix.

Veteres cùm aliquem execrabantur, quòd odio ipſis ob quodpiam inſigne facinus foret, ſi fortè tunc aliquò ille profecturus erat, precari ſolebant, ut ea via ipſi perpetua foret. Quibus verbis petebant, ut numquam ille in ea loca rediret, ſed quò magis iter facere pergeret, eò magis è conſpectu ſe ipſis eriperet. Hoc in oratione contra L. Piſonem poſuit Cicero, & Turpilius Thraſyldone apud Nonnium. *Victorius lib.2. Var. lect. cap.1.*

Childonis Thebani Uxor verberibus graviter accepta è marito imprecata eſt illi equitaturo κακὰς ὁδοὺς, κακὰς δ' ἐπανόδους, Malum iter, malumque reditum, *Plutarch. de Socratis Dæmonio.* H

Victoriam nullam.

In Dymæorum (qui Achæi ſunt) finibus Oebotæ curſoris victoriæ monimentum extat: qui cùm primus ex Achæis Olympiæ coronam meruiſſet, neque ullum apud cives ſuos eò nomine, præcipuum honorem eſſet adeptus, imprecatum Achæis ajunt, ne quis ipſorum unquam palmam Olympicam ferret. Achæi mirantes, ſe Olympicarum palmarum compotes fieri nunquam amplius potuiſſe, Delphos ad oraculum miſerunt. Et tunc quidem, cùm & alia in Oebotæ honorem inſtituiſſent, virique ſtatuam in Olympiam miſiſſent, mox Soſtratus Pellenæus in ſtadio pueros vicit. Et hac etiamnum ætate

ætate Achæis athletis ſolemne, ut priuſquam in certamen ad A ſcendant, Oebotæ, parentent, ejuſque ſtatuæ victores coronam imponant. *Pauſ. in Achaicis.*

Servitutem.

C. Gracchus L. Opimii coſ. armis preſſus, in Dianæ templum conceſſit, conatuſque ſibi manum inferre, à Licinio, & Pomponio amicis fidiſſimis prohibitus eſt. Mox ex templo fugam molitus, priuſquam egrederetur, procumbens in genua deam precatus dicitur, ut populus Romanus pro præſenti in ſe ingratitudine, in perpetuam ſervitutem incideret, quando ſuæ libertatis aſſertores perfidè trucidandos percuſſoribus proderet. *Sab. lib.1. Enn.6.*

Exilium.

Catullus Vibennios execrans, inquit:

Cur non exilium, malaſque in oras
Itis?

Eam formulam Itali adbuc retinent, Va in mal ora. *Victor. lib.30. Var. c.2.*

γυναικοκρατείαν.

Aristoteles quidam Meliacus deducendæ coloniæ præfe- B ctus, cùm multi detrectantes navigationem, varia cauſarentur, & alii dicerent uxores ſuas adverſa valetudine teneri, alii naves ſuas perſtillare, atque his prætextibus domi manerent: ille indignatus, imprecatus eſt illis, ut nunquam haberent naves integras, & ſemper ſub uxorum imperio viverent. Inde proverbium, Meliacum navigium, de homine futili, & rimarum pleno. *Eraſm. in Adagiis.*

QUIBUS.

Sibiipſi.

Medea impatientiſſimè ferens Jaſonis mariti perfidiam, apud *Eurip. in Medea* ſemetipſam devovet:

αἰ αἰ διά μου κεφαλᾶς φλὸξ οὐρανία
βαίη· τί δέ μοι ζῆν ἔτι κέρδος,
φεῦ φεῦ θανάτῳ καταλυσαίμαν,
βιοτὰν στυγερὰν προλιποῦσα.

Eheu, per meum caput flamma cœleſtis eat: quid enim mihi vivere amplius utile eſt? Heu, heu, utinam moriar, vitam odioſam relinquens.

Goduinus Cantianorum comes, Anglis, mortuo Canuto III. Alfredum Etheldredi Regis exulis F. revocantibus, ipſius C virtutes reformidans, calumniis circumvenit, per inſidias in itinere necavit: auctorque fuit Anglis, Edovardum III. Alfredi fratrem ad regnum vocandi. Hic Goduino ſcelus in fratrem commiſſum condonavit. Accidit, ut Heraldus filius, qui Regium poculum miſcebat, Edovardo prandenti potum præbere volens, uno pede ferè lapſus, auxilio alterius pedis ſeſe ſuſtentarit. Tum pater: Nunc, inquit, frater fratrem juvit. Ad quam vocem Edovardus turbatus animo in Goduinum converſus ait: Sic mihi meus frater auxilio eſſet, ſi per te licuiſſet. At Goduinus iram Regis veritus excuſare ſe cœpit; divinumque numen ad innocentiam declarandam, cum jurejurando appellare, dicens: Si unquam, Rex, quicquam in necem fratris tui, aut in te machinatus ſum, precor, ut Dei nutu, iſtud panis fruſtum me ſtranguler. Quæ ubi dixerat, ſumpto pane, ſubitò præcluſis faucibus ſuffocatus eſt. *Polyb. lib.9.*

Humano generi.

Nero Cæſar dictum poetæ cujuſdam:

ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί,

volens corrigere, dicebat, ἀλλ' ἐμοῦ ζῶντος Etiam me vivente. *Suet.*

D *Patriæ.*

☞ *Conſule Tit. Perfidiæ erga patriam.*

Subditis.

Theseus factione inimicorum, Meneſthei præſertim, pulſus, liberos in Eubœam clam ad Elenephora Chalcodontis miſit. Mox in Gargetto devotis Athenienſium capitibus, ubi nunc Araterion eſt, in Scyton navigavit. *Pauſ. in Atticis.*

Mors Caii Caligulæ nunciata paucis luctum, omnibus lætitiam attulit, dicti ejus recordantibus, quod aliquando iratus protulerat: Utinam populus Romanus unam cervicem haberet. Reſpondit ille: At tu unam cervicem habes, nos verò manus multas. *Zonaras.*

Civibus.

Fur. Camillus Romanorum dictator, in exilium pulſus, Achilleum votum fecit, ut Romani aliquando Camillum deſiderarent: ejuſque non multò pòſt reus eſt factus. Nam cùm Galli urbem tenerent, plebs ad Camillum confugit, eumque rurſus dictatorem dixit. *Plut.*

Claudia Veſtalis per confertum forum proficiſcens, ægrè ferens iter ſuum multitudine hominum impediri, fratrem E ſuum Appium Claudium (cujus inſcitia claſſis Romana horrendum paſſa fuerat naufragium) reviviſcere optavit, cujus improbitate tanta populi luxuria amputaretur.

Filiis.

Noe Cham F. diris devovit, ob pudenda patris denudata, & irriſa. *Gen. 9.*

Eteocles, & Polynices, de more patri Oedipo ex unoquoque ſacro partem anteriorem mittebant. Cùm autem aliquando per incogitantiam, coxam, hoc eſt, poſteriorem partem miſiſſent, ille exiſtimans id contumeliæ cauſa factum, imprecationibus diris eos eſt proſecutus. Alii narrant: Oedipum ſimul, atque cognoviſſet ſe parricidam eſſe, & cum matre conſuetudinem habuiſſe, ſuis ipſius manibus oculos ſibi eruiſſe. Quæ res ubi ejus loci incolis cognita eſt, Oedipum expulerunt, urbe. Ille in exilium abiens, filios, quòd patrem in calamitate non defenderent, execrationibus devovit. Juvenes mutua cæde extincti ſunt, mater ſibi mortem conſcivit, Oedipus ipſe fulmine ictus interiit. *Euripides in Phœnicis*, tradit, Oedipum peccato ſuo cognito, oculos ſi- F bi ipſi præ dolore eruiſſe. Filii, ut dedecus iſtud patris occultarent, & tegerent, patrem incluſerunt, neque exeundi etiam copiam fecerunt. Ergo diras contra filios evomuit, & ut Jocaſta mater, inquit, ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας, ut vel uterque malè perirent, vel ferro acuto bona paterna dividerent. Metuentes filii, ne dii ratas imprecationes efficerent, ſi habitarent ſimul: convenerunt, ut alternis imperio præeſſent: & Polynices intereà aliò, quocunque vellet, diſcederet.

Idem *Eurip. in Oedipo Coloneo*, Oedipum imprecantem facit Polynici, ut fraterna manu occideretur, viciſſimque occideret:

τὰς δὲ συλλαβὼν ἀρὰς
ἅς σοι καλοῦμαι, μήτε γῆς ἐμφυλίου
δορὶ κρατῆσαι, μήτε νοστῆσαί ποτε
τὸ κοῖλον Ἄργος, ἀλλὰ συγγενεῖ χερὶ
θανεῖν, κτανεῖν θ' ὑφ' οὗπερ ἐξελήλασαι.
τοιαῦτ' ἀρῶμαι, καὶ καλῶ τὸ ταρτάρου
στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος. id eſt,

Hæc te ſequantur agmine imprecamina,
Tibi quæ imprecor, uti neve vitali ſolo
Potiare bello, neve ad Argos poſteà G
Redire liceat? immò fraterna manu
Perimaris, ac viciſſim eam dedas neci,
Qui te expulit, fratrem. Iſta vobis imprecor,
Teſtorque patrii triſte numen Tartari.

Eraſm. in Adagiis.

Parentum in liberos devotiones eſſe formidandas, Homerus quoque teſtatur *Iliados* 1. cum Phœnix narrat ſe Paternis execrationibus obnoxium fuiſſe:

μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα. θεοὶ δ' ἐτέλειον ἐπαράς.

Orat ne in genibus ..... aliquando ſederet
Ex me nata ſuis: diique audivere precantem.

Eraſm. in Adagiis.

Timophanem Corinthiorum tyrannum fratrem Timoleon ſubornatis ſicariis trucidandum curaverat. Mater ut factum intellexit, devovere caput ipſius, diraſque imprecari cœpit: eumque ad ſe profectum in conſpectum ſuum nequaquam admiſit, ſed fores ipſi præcluſit: ut ille oppreſſus do- H lore, atque animo perculſus, ſeipſum inedia conficere inſtituerit. *Plut. in Timoleonte, & Diod. lib.16.*

Cùm Alfonsus Rex Caſtulonenſis Ferrando majori filio, ejuſque liberis, excluſo fratre minore Sanctio, ſucceſſionem Regni deſtinaſſet: iſque ſuperſtitibus duobus ex ſe filiis paulò pòſt deceſſiſſet: Sanctius ne morte quidem patris expectata, regnum invaſit, turbaſque excitavit. Alfonſus furiali eum carmine devovit, & jure paterno maledixit. Qua execratione etiam apud ſubditos effecit, ut communia cum Patre adversùs eum arma ſumpſerint. *Æmil.7.*

Erat Edgaro Regi Scotorum ſoror nomine Mathildis, quæ poſt mortem parentum inter Monachas degebat. Hanc Henricus I. Anglorum Rex de ſuorū conſiliariorum ſententia ſibi uxorem depopoſcit. Puella à connubio abhorrens, eum repudiavit. Juvenis amore flagrans iterum Edgarum per legatos rogavit, ut ſuam affinitatem ne aſpernaretur, quæ utrique commodo foret. Edgarus magni Regis iram timens, & amicitiam fugiens, ſororem invitam Henrico in matrimonium dedit.

dit. Dicitur hæc puella, cùm vidiſſet ſibi votum virginitatis eſſe violandum, omnibus precibus execrata eſſe prolem, ſi qua ex ſe naſceretur: quod omen haud fuit vanum*. Nam XX. annis pòſt Gulielmus Normanniæ Dux ex Mathilde genitus, & Ricardus, ut quidam ſentiunt, ex concubina natus, ac Maria ſoror navem ingreſſi, ut ex Normannia Auſtro leniter flante in Angliam navigarent, ſubitò per nautarum incuriam navi ſcopulo illiſa, perierunt, cùm omni comitatu, numero ad centum & quinquaginta, uno dumtaxat incolumi, qui, navem tenaciter complexus, ad terram, quæ non procul aberat, poſtero die delatus eſt. Gulielmus, eveſtigio in ſcapham deſcendens, ad terram contendebat, cùm ejus opem ſoror imploravit. Hic cùm ſcapham navi admoveri juſſiſſet, ut ſororem exciperet, præcipitantium multitudine obrutus fuit. Sed & Mathildis filia, quæ Imperatori Henrico V. nupſit, adverſis rebus conflictata eſt. Henricus haud multò poſt, alteram uxorem duxit, Adeliciam Lotharingam: ex qua tamen nullum ſuſtulit filium. Mathildem filiam viduam Gaufredo cognomento Plantagenetæ, filio Fulconis Andeganorum Turonum, & Cenomanorum comiti, locavit. Itaque ſtirpe Gulielmi Conqueſtoris Normanni deficiente apud Anglos, ſucceſſit ſtirps Gallica. *Polyd.lib.*11.

Henrico Lotharingo, qui primus Portugalliæ ditionem ab Alfonſo VI. Hiſpaniæ Rege ſocero ſuo obtinuit, vita functo, Theraſia ejus uxor nupſit cuidam Fernando Comiti. Quæ res plurimùm diſplicuit Alfonſo Henriques ejus filio. Quare orta eſt inter eos implacabilis diſcordia, bellaque gravia. Alfonſus victo Fernando vitrico, matrem ſuam cœpit. Romanus Pontifex, matrem liberari fruſtra petens, regno illi interdixit. Ille legatum fugientem cepit: ſed pœnitens facti, coram eo ſe nudavit, eique cicatrices & vulnera oſtendit fidei Catholicæ ergo à Sarracenis illata. Placatus legatus pollicitus eſt abſolutionem à Rom. Pontifice. Mater videns differri relaxationem ſuam, maledixit filio, dicens: Quia crura mea vinculis alligaſti, & mihi abſtuliſti honorem è patre relictum, Deum precor, ut ab hoſtibus ſis captivus, ut ego ſum: utque crura tua fracta conſpicias, ſicut mea ferro vinxiſti. Nec irritæ preces fuere. Nam cùm apud civitatem Pacenſem cum Fernando Rege Legionis manus conſereret, exiens per portam civitatis, tibia vectis ferro impacta eſt pariter, & rupta: ille verò in bello victus, & captus. *Rod. Sanct. parte* 1. *hiſt. Hiſp. c.*14.

Bajazetes Turcarum Imper. regno blandè exutus à Selimo F. experiri volens quonam pacto regimen filius ordiretur, gazophylacium (ubi theſauri reconditi erant) ingreſſus, omnes divitias reperit brevi diſſipatas tempore. Dehinc armamentarium, ubi ſpolia hoſtibus adempta, & prædæ reſervabantur, recenſuit, & pariter vacuum reperit: omnia enim ſuis jam donaverat. Luſtravit deinceps cameram argentariam, ubi vaſa, ac pocula aurea, atque argentea à principibus, & regibus finitimis dono miſſa cuſtodiebantur: quæ pariter jam diſtributa evanuerant. Poſtremò ſtabulum regiorum equorum ingreſſus inviſit, ubi delectos, ac inſigniores equos nullos inveniens, altè ingemuit, & dolore exacerbatus, cœpit peſſima quæque ſuſpicari de filio malè in imperium intruſo. Cogitabat itaque vindictam quærens, cum reliquo, qui ſupererat, theſauro abire in Natoliam ad majorem filium, per hortum quendam maris portui vicinum, ubi naves quaſdam ordinaverat, quibus traiceret. Priuſquam autem quæ navibus erant neceſſaria, præpararentur, ſub amœniſſima conſidens pyro, arreptis duobus lapidibus, ad Auſtrum converſus cœpit filio Cæſari omnia adverſa imprecari, eumque diris devovere: ut ejus cœpta infeliciter, ut hi lapides, quos manibus concuſſit, ab adverſariis contunderentur: ut lethalia vulnera, & diſcrimina periculoſiſſima ſentiret, ut lapides illi quatiebantur: ut uxor aut infœcunda, aut filios parturiret debiles, nec diu ſuperſtites, quòd ſe patrem deſpexiſſet, Mahometi legem prævaricaſſet. Inde urbe excedens, in medio itinere vi veneni, à filio clàm propinati, periit. *Cuſp.*

Patruis.

Dimætas ambiit Trœzenis fratris filiam Evopin. Cùm autem perciperet ipſam cum fratre rem habere, indicavit id Trœzeni. Illa ob timorem, & pudorem ſeipſam ſuſpendit: multa mala priùs imprecata ei, qui hujus calamitatis ſibi fuiſſet cauſa. Nec multo tempore poſt Dimætas in mulierculam quandam incidit ſpecie valdè pulchram, à marinis fluctibus ejectam, atque cum ea cupidè penitùs congreſſus eſt. Cujus corpus cùm ob longum ſitum marceſceret, ingentem ei tumulum extruxit: atque cum ne ſic quidem remitteret dolor, inſuper ſeipſum mactavit. *Parthen. de Amat. cap.* 31. *ex Philarcho.*

Fratribus.

Selimus Turcarum potitus imperio, incredibili dominandi libidine, Doreuthum fratrem philoſophico otio deditum Pruſiæ chorda arcus ſtrangulavit. Conſtat, eum, cùm fidibus gutturi admotis à carnifice ſtrangularetur, impetraſſe horam, cujus ſpacio amarulenta in Selimum carmina intrepido, conſtantique animo conſcripſit, quibus exprobata ſævitia, ejus capiti omnes diras imprecabatur, Selimus verò, quem vivum videre noluerat, necatum ſpectare ſuſtinuit, perlegitque carmina de ſe conſcripta, nec temperavit à lachrymis, uſuſque eſt lugubri veſte, ut immanis animi crudelitatem in tanta omnium invidia falſo dolore contegeret. *Jovius.*

Hoſtibus.

Artaxerxes Perſarum Rex Themiſtoclem exulem ſuſcepit, precatuſque eſt Solem, hoſtibus ſuis ſemper daret eam mentem, ut præſtantiſſimos de medio ſui ſummoverent. *Plut. in Themiſt.*

C. Fabricius ad Pyrrhum legatus à Senatu, dum moram trahit apud Regem, audivit à Cynea, qui à Rege legatus ad Senatū venit, Athenis eſſe quendam, qui ſapiens haberetur, diſputare ſolitum, ac diffinire: Omnia, quę agimus in vita, ad voluptatem referri, illam finem eſſe, ac præmium actionum, laborumque omnium. Eo audito, vir temperātiſſimus obſtupuit. Quòd cùm domi narraret, Titum Coruncanum, & M. Curium ſic optaſſe ferunt: Dent dii talem ſapientiam hoſtibus pop. Rom. *Plut.*

Antisthenes inimicis optavit omnia, præter ſanam mentem: quam ſi haberent, confecturi eſſent, quæ vellent, omnia. *Plut. orat.* 2. *de Alex. fort.*

C. Pontius Samnitum Imp. Utinam, inquit, ad id tempus me fata reſervaſſent, quo Romani dona accipere cœpiſſent, non eſſem paſſus eos diutiùs regnare. *Cic. in Off.*

*Herod. l.*1. tradit, olim Lydios præ cæteris equitatus valuiſſe, nec aliter ferè, niſi ex equis, pugnaſſe. Proinde Crœſus Rex optabat Jonibus eam mentem, ut equitatu Lydos invaderent.

Dido, ut eſt in fabulis, irritata Æneæ diſceſſu, diras illi, ferisque nepotibus imprecata eſt. Quæ multis pòſt ſeculis in Romanos Trojanorum poſteros, & Carthaginenſes, bello crudeliſſimo, ad interitum uſque Carthaginis ſunt graſſatæ. Verba 4. *Æneid.* adſcribere operæ pretium eſt, cùm præclaram devotionis formulam contineant:

Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras,
Tuque harum interpres curarum, & conſcia Juno,
Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes,
Et diræ ultrices, & dii morientis Eliſæ,
Accipite hæc, meritumque malis avertite numen,
Et noſtras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt,
Et ſi fata Jovis poſcunt, hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus, & armis,
Finibus extorris, complexu avulſus Juli,
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum
Funera: nec cùm ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur.
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor, hanc vocem extremam cum ſanguine fundo.
Tum vos, ò Tyrii, ſtirpem, & genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique hæc mittite noſtro
Munera: nullus amor populis, nec fœdera ſunto
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt ſe tempore vires.
Littora litoribus contraria fluctibus undas
Imprecor, arma armis, pugnent ipſique nepotes.

Rodolfus Henrici IV. à Pontifice proſcripti in imperio æmulus, in prælio cæſus, regali pompa ſepultus eſt. Quòd cùm plerique ægrè ferrent, Regique Henrico indignum eſſe diceretur, quererenturque non decere, tyrannum Regiis inſignibus mortuum etiam honorari: Sinite, inquit, Rex, eum ita ornatum ſepeliri. Utinam omnes mei adverſarii eo ornatu ſepulti jacerent. *Cuſp. & Bonfin. lib.*3. *Dec.*1.

Vicinis.

Quondam Pyrrhæos, quotquot erant Vicini, gravi odio perſequebantur: unde ſi quod malum aliquando videretur impendere, id abominantes, precebantur, ut in Pyrrhæos averteretur, dicentes, ἐς τὼ πυῤῥαίων. id eſt, in Pyrrhæorum regionem, Eſt autem Pyrrha, Lesbi inſulæ civitas, auctore Stephano. *Eraſmus in Adagiis.*

Arboribus.

Horatius *lib.*2. *Ode* 13. execratur arborem, quæ ſe, cùm in agro Sabino ſpaciaretur, repentè delapſa penè oppreſſerat, vituperatque eam à conſitore, quem ſceleſtiſſimum fuiſſe putat, & impiiſſimum: neque enim à bono viro potuiſſe ſeri jam peſtilentem arborem, additque graviſſimam ſententiam, neminem ſic poſſe cavere periculum, quin ubi minimum ſuſpicabatur, periculi neceſſitatem incurrat. Se namque tam parum à morte abfuiſſe, ut viſus ſit videre apud inferos Æacum judicem, Sappho, & Alcæum canentes fidibus, cum omnium umbrarum admiratione. Alibi tamen providentiam divinam in ſe ſervando ex hoc ipſo prædicat:

Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextra levaſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum.

Tempore Diei.

Job fortunis omnibus amiſſis, ulceribus ſcatens, ab uxore irriſus, ab amicis graviter reprehenſus, diem ſuæ nativitatis execratus eſt.

Turcarum tyrannus Mahometes II. repulſus à Belgradi obſidione, ipſis caſtris, quæ facilè tueri potuerat, ignem ſubjecit: illum inter alios inſequente ſignifero, cum ſigno crucis, quod ſignum ille in Conſtantinopolitana expugnatione nuper contumelioſiſſimè tractavera, ut majore viciſſim contumelia ipſe ſævitiæ, & ſuperbiæ mancipium confunderetur. Neque enim ampliùs idem cladis, ignominięque ſuæ oblivisci potuit, quin ad mentionem illius barbam manu demulcens, & caput quaſſans, pugnam, diemque fuerit deteſtatus, qua cùm Chriſtianis certamen ad Belgradum inierat, & plus quàm centum ænea tormenta raræ magnitudinis amiſerat. *Dubrav. lib.*29.

Equis.

Equabus equirentibus extra fines abactis admiſſuram dant Elei, quòd regum omnium Oenomaus equorum ſtudioſiſſimus, qui hoc animal dilexit plurimùm, multa, & dira execratus eſt in capita equorum, qui ineunt Elide equas: cujus metu devotionis averſantur eas. *Plut. in q. Græcis.*

CUR. Ob

Delictum alienum.

Achilles ob ereptam ſibi ab Agamemnone Bryſeida, diris perſequitur Græcos omnes, *Iliados* α. matrem rogans, ut Jovem ſupplex adeat:

αἴ κέν πως ἐθέλῃσιν ἐπὶ Τρώεσσιν ἀρῆξαι.
τοὺς δὲ κατὰ πρύμνας τε καὶ ἀμφ' ἅλα ἔλσαι Ἀχαιοὺς
κτεινομένους, ἵνα πάντες ἐπαύρωνται βασιλῆος,
γνῷ δὲ καὶ Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων
ἣν ἄτην, ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισε.

Scedaſi Bœoti Filiæ à Spartanis quibuſdam vitiatæ, contumeliam eam non ferentes, patriam juvenum diris devoverunt. Neque verò irritæ preces cecidere, quando multis tandem poſt annis graviſſima clade Leuctrica à Thebanis affecti ſunt Lacedæmonii. *Diod. Sic. lib.*15.

Impietatem.

Cùm Miles Epiſcopus, qui in perſecutione ſub Sapore in Perſia martyrium paſſus eſt, in civitatem quandam Perſiæ ingreſſus, cives, ut Chriſto nomina darent, hortaretur, neque illi parerent, maledixit illi civitati. Paulò poſt cùm magiſtratus civitatis illius regem læſiſſet, miſſus eo exercitus urbem delevit. *Sozom. lib.*2. *cap.*14.

Contumaciam.

Ariſtoteles quidam Meliacus deducendæ colonię præfectus, cùm multi detrectantes navigationem, varia cauſarentur, & alii dicerent uxores ſuas adverſa veletudine teneri, alii naves ſuas peſtillare, atque his prætextibus domi manerent: ille indignatus, imprecatus eſt illis, ut nunquam haberent naves integras, & ſemper ſub uxorum imperio viverent. Unde proverb. Neliacum navigium, ubi quis cauſas fingit, quò ſuffugiat officium. Eſt autem Melia Cariæ civitas, auctore Stephano. *Eraſmus.*

Perfidiam.

Jotham Gedeonis filiorum natu minimus, cùm ſolus è LXX. fratribus evaſiſſet, & Abimelech fratris ſpurii ſceleratas manus evaſiſſet: cùm ſciret, Sichemitas Abimelech apud quercum extra urbem producturos, & regem creaturos, in vertice montis Harizim ſtans ad eos prætereuntes clara voce hunc apologum dixit: Cùm coiviſſent aliquando arbores ad ungendum ſibi regem, petebant ab olea, ut regnum in arbores capeſſerent. At illa ſe ſuam pinguedinem, diis, hominibuſquę gratam, relicturam negavit. Ficus ſimiliter ſuam dulcedinem, vitis ſuum muſtum ſe non deſerturam, pronunciavit. Tum univerſæ arbores à Rhamno poſtularunt, ut in ſe regnaret. Quibus rhamnus: Si ergo hoc bona fide petitis, accedite, & umbra mea confidete: ſin minus, ignis à me exiens Libani cedros conſumat. Sic etiam vos, ò Sichemitæ, ſi bona fide egiſtis, qui Abimelech conſanguineo veſtro pecuniam dediſtis, qua ſicarios conduceret, & Gedeonis de vobis optimè meriti 70. filios necaret, eumque regem unxiſtis, fruimini ſanè Abimelech, & ipſe vobis invicem fruatur. Sin autem ſecus, emanet ignis ab Abimelech, qui Sichemitas Molloniamque domum conburat: rurſumque emanet ignis è Sichemitis, qui Abimelech comburat. Hæc locutus Beram fuga petiit. Triennio poſt imprecatio hæc Jotham rata fuit. Nam Abimelech Sichemitas, quia defecerant, partim ferro, partim igni excidit, & ipſe viciſſim in oppugnatione turris Thebes urbis molæ fragminę ictus interiit. *Judicum. c.*9.

David Rex, Joab polemarcho ſuo, ſuæque ſororis Salvæ, F. (qui Abner polemarchum Isboſeth regis Iſraelitarum ſpecie amici colloquii perfidè interemerat) ejuſque domui dira ob hoc facinus imprecatus eſt, nimirum, ut nunquam ex paterna ejus familia deeſſet, qui geniture fluxu laboraret, qui leproſus eſſet, qui baculo inniteretur, qui ferro trucidaretur, quique victu indigeret, potentior enim erat Joab, quam ut pœna capitali eum plectere poſſet. 2. *Reg.*3.

Annibal Pruſiæ regis Bithyniæ proditione Q. Flaminio legato Romanorum tradendus, hauſto veneno ſeipſum necavit, multis priùs execrationibus Pruſiam deteſtatus. *Auctor vitæ.*

Urbis reſtaurationem.

Josue ducis Iſraelitarum imprecationes in eum, qui Hierichuntem inſtauraſſet, ratæ fuerunt. Hiel enim Bethelenſis Hierichuntem inſtaurans duos amiſit filios 3. *Reg.* 16.

Scribit Strabo, morem fuiſſe, execrationes in eos diras proferendi, qui everſam urbem inſtaurare adorti forent. Quod in Ilio fecit Agamemnon, & in Sidena Crœſus, hic Lydorum, ille Græcorum rex. *Cælius lib.*26. *c.*5. *A.L.*

Cædem ſuam.

Oenomaus Piſæorum rex, fraude Myrtili aurigæ à Pelope ſuperatus, regnoque exutus, diras ultrices Myrtilo imprecatus eſt. Myrtilum igitur Pelops non multò poſt in mare præcipitavit, eo quòd Hippodamiam de ſtupro ſollicitaſſet. Myrtilus in mare præcipitatus, Pelopis domum diris egit. Itaque Pelopis filii Atreus, & Thyeſtes nefandis ſceleribus ſeſe obſtrinxerunt. Thyeſtes fratris uxorem, & filiam conſtupravit: Atreus Thyeſtæ filios epulandos propoſuit, Ægiſthus Thyeſtæ F. Agamemnonem Atrei F. capto Ilio in balneo interfecit, cùm uxorem ejus Clytemneſtram ſtupro ſibi conciliaſſet. Oreſtes Agamemnonis F. Ægiſthum adulterum, & matrem interfecit. Tanta fuit dirarum vis. *Euſtathius Iliad* β.

Severianus. ☞ *Vide ſuprà Hadrianus* §. *mortis difficultatem.*

Cædem Brutorum.

Pompeii altero conſulatu, dedicatione templi Veneris victricis, pugnavere in circo viginti, aut, ut quidam tradunt, XVII. elephanti, Getulis ex adverſo jaculantibus Pompejani victi, amiſſa fugæ ſpe, miſericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes ſupplicavere, quadam ſe lamentatione complorantes: tanto Populi dolore, ut oblitus Imperatoris, ac munificentiæ ſuæ exquiſitæ, flens univerſus conſurgeret, diraſque Pompejo, quas ille mos luit, pœnas imprecaretur. *Plin. lib.*8. *cap.*7.

Amicitiam fictam.

Theognis in Gnomis amicæ ſimulatæ imprecatur, Caſtorem, & Pollucem invocans:

εἴ ποτε βουλεύσαιμι φίλῳ κακόν, αὐτὸς ἔχοιμι.
εἰ δέ τι κεῖνος ἐμοί, δὶς τόσον αὐτὸς ἔχοι.

Si unquam conſulam amico malum, ipſe habeam: Si verò aliquod ille mihi, bis tantum ipſe habeat:

Idem in amicum fictum:

ἔῤῥε θεοῖσίν τ' ἐχθρὲ, καὶ ἀνθρώποισιν ἄπιστε,
ψυχρὸν ὃς ἐν κόλπῳ ποικίλον εἶχες ὄφιν.

Peri, ò diiſque inimice, & hominibus infidelis,
Frigidum qui in ſinu varium habebas anguem.

Profectionem ad ludos.

Hercules contra Augeam, agrorum ſuorum purgationis præmium denegantem, expeditionem inſtituens, à filiis Actoris ætate, & audacia vigentibus repellebatur. At cùm illi ad Iſthmi-

Isthmicos ludos proficiscerentur, eos Hercules ex insidiis ad A Cleonas occidit. Quòd cùm Molionis Actoris uxor resciviſſet, diris Eleos cives ſuos devovit, quotcunque impoſterum Isthmicis ludis non abſtinuiſſent. *Pauſ.lib.5.*

NON DEVOVERE, NON IMPRECARI.

Eſt dira res, & triſtis devotio. Quare ſolemne non eſt Sacerdotibus devovere. Atque commendata Athenis eſt antiſtes illa, quæ execrari in caput Alcibiadis, imperante populo, recuſavit. Voti enim, non devotionis, inquit, ſacerdos facta ſum. *Plut. in Quæſt. Rom.*

* Oraculum.

DEFINITIO. ETYMOLOGIA. ET CAUSA.

ORaculum eſt idem, quòd divinum reſponſum, dictum juxta *Cic. in Vopiſc*, quod illic velut inſit divina ratio, alioquin oracula vaticinia, χρησμοὶ, μαντεύματα, Dæmonomantiæ, pro iiſdem uſurpantur: nam omnibus commune eſt, quod in iis Theomantiam veram, ſive prophetiam Diabolus conatur imitari, idque dando reſponſa petentibus ex antris, ſta- B tuis, hominibus, ſpecubus, quod nullam habet cauſam naturalem, ut benè ſenſit *Fernelius lib.de abd.rer.cauſ.2.*

Talia fuere oracula Jovis Dodonei, & à poſteris Dodanum inſtitutum, cujus myſtæ magi fuere, & quercus conſecrarunt, & pelves pulſari inſtituerunt, quæ ſpecies divinandi diu viguit.

Item Jovis Trophonii, de quo extat dialogus *Nicolai Leonicini*.

Item Apollinis Delphici, Clarii, Delii, Smynthei, & alia innumera; quæ videantur apud *Cæl.Calcagnin.lib. de orac.*

Dæmon autem pleraque horum oraculorum per maleficas deprometat, tales erant fœminæ dictæ Dodonides columbæ, ut docuit *Pauſ.in Arcad.apud.Nat. Comit.lib.6.myſtag.c.10.*

Tales fuerunt Galliçenæ (ſic dictæ mulieres antiſtites Gallici numinis in Sena maris Britannici inſula) quæ carminis magici vi tempeſtatem ciebant, futura prædicebant, & inſanabilia curabant. *De his Pomp.Mela lib.1.& Cælius lib.13.antiq.c.33.*

Tales Pythiæ Delphis, ut ex oraculi deſcriptione ab Herodoto tradita colligitur. Vide nonnulla apud *Delrio. lib.4.diſq. magic.c.2.q.6.*

☞ *Huc refer multa ex loco de Divinatione, Omine, Magia.*

☞ *Item ex loco de Prudentia extra bellum conſiderata* C *circa Oracula.*

☞ *Deinde ex loco de Divina cognitione. Tit. Fortuitorum bonorum divina cognitio, ac per totum deinde locum illum ſparſim multa hujus argumenti reperientur.*

Oratio.

Sive PRECES.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

ORatio ὐχὴ Græcis juxta Grammaticos omnis ſermo loquentium eſt, ait *in Epiſt. ad Cypianum S. Hieronymus* cujus etymologiam explicant, quod ſit oris ratio. At in Scripturis ſanctis orationem dicimus, quæ ad preces, & obſecrationes pertinet. Cujus variæ ſunt definitiones.

Baſilius dicit, quòd oratio ſit boni alicujus petitio ad Deum à piis facta. *hom.5.*

Greg.Nyſſenus orat.1. deſcribit eam, quòd ſit converſatio, ſermocinatioque cum Deo.

D *Damaſcen. lib.3. orthod. fid.* Eſt, inquit, aſcenſio mentis in Deum. Optimè definietur eſſe colloquium cum Deo, quo petimus nobis, aut aliis ſalutaria. Sive eſſe, deſiderii coram Deo explicationem, ut aliquid ab ipſo impetremus.

Eſt porrò oratio immediate actus rationis practicæ, & religionis, ut per quam Deum permovere conamur, ut deſiderata concedat: ipſumque bonorum noſtrorum auctorem, noſque illius inferiores teſtamur. Hæc enim duo Oratio includit.

* PARTITIO.

Triplex eſt orationis partitio. Prima, quam inſinuat *S.Paulus c.4.Epiſt.ad Philippen.* In omni, inquiens, oratione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innotoſcant apud Deum, videtur autem partitionis vim in materia orationis, quæ eſt res bona, vel mala, præterita, vel futura, collocaſſe, ut ſenſus Apoſtoli ſit, orandum eſſe Deum pro malis avertendis, & bonis recipiendis, & quidem utraque poſtulanda eſſe in futurum, & pro impetratis gratias agenda. Videtur autem, ut habet *Theodoretus, & Auguſtinus*, poſt obſecrationes, deprecationes malorum: per orationes verò petitiones E bonorum intellexiſſe.

Altera partitio eſt. Oratio alia eſt mentalis, alia mentalis ſimul, & vocalis. Nam vocalis tantùm valet potius, ad provocandam Dei iram, quàm ad avertendam, juxta illud: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

Mentalis ſæpè utilior eſt vocali, nam *teſte Ambroſ. lib.6. de Sacrament.* Qui in ſilentio orat, fidem defert, & confitetur, quòd Deus ſcrutator cordis, & renis ſit, & orationem tuam antè ille audiat, quam tuo ore fundatur.

S. Gregorius lib.22. Moral. idem tradit, cauſamque reddit. Vera quippe poſtulatio, ait, non in oris eſt vocibus, ſed in cogitationibus cordis: Valentiores namque voces apud ſecretiſſimas aures Dei non façiunt verba noſtra, ſed deſideria. Unde rectè per Pſalmiſtam dicitur. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Tertia partitio eſt. Oratio alia eſt publica, alia privata. Publica dicitur, quæ nomine totius populi in Eccleſia à Sacerdotibus peragitur, ut in Sacrificio Miſſæ.

Privata eſt, quam ſinguli privatim quocumque modo peragunt, de qua S. Paulus. Volo ergo viros orare in omni loco.

* DIGNITAS. F

Excellentiam orationis multa in divinis litteris produnt. Ac primò quod ſcriptum ſit Moyſis vultum ex colloquio, cum Deo habito ita radiis colluſtratum, ut populus Iſraeliticus non potuerit oculos in illum intendere, ut eſt in *Exodo, & poſter. ad Corinthios.*

Deinde quòd precibus ſuis Dominum quaſi coegerit ad condonandam noxam idem populo. Ita enim *in Exodo* Dominus eum alloquitur. Cerno, quòd populus iſte duræ cervicis ſit: dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra illos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.

Et *Pſalter* regius de eodem. Et dixit, ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus.

Eadem de cauſa Hieremiæ vetuit, ne oraret. Tu ergo, inquit, noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te. In quæ verba *S. Hieronymus*. Ne videatur rogans propheta non impetrare, quod poſtulat: præcipit Deus, ne pro populo peccatore, & nullam agentem pœnitentiam deprecetur. G Quòd autem dicit, & non reſiſtas mihi, illud oſtendit, quod Sanctorum preces iræ Dei poſſint reſiſtere. Unde & Dominus loquitur ad Moyſen, dimitte me.

In *Pſalmis* oratio confertur cum Sacrificio. Dirigatur oratio mea, ait David, ſicut incenſum in conſpectu tuo, elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Et Deus. *Apud Iſaiam*. Domus mea, inquit, domus orationis vocabitur cunctis populis, ſignificans orandi functionem, notam fore populo Chriſtiano, quo toto mundo cognoſcatur, & diſcernatur ab aliis nationibus. Denique non ſemel indicat Scriptura Angelorum miniſteria in hoc maximè excubare, ut preces noſtras deferant in cœlum. Nam Raphael Angelus dixit Tobiæ. Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos &c. ego obtuli orationem tuam Domino.

Et in actis Apoſtolicis refertur, Cornelium deprecantem Deum ſemper manifeſtè vidiſſe Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.

Chriſto oranti in horto apparuit, *teſte Luca*, Angelus de H cœlo, confortans eum.

Petro quoque Apoſtolo, cum oratio ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo fieret, aſtitit Angelus, cum magno fulgore, & è carcere eduxit. Audiamus hæc de re veteres, inter quos *Greg.Nyſſen.lib.de orat.* ita habet: Oratio corporum robur eſt, abundantia domus, recta legum, ac juris in civitate conſtitutio, regni vires, belli trophæum, pacis ſecuritas, diffidentium conciliatio, conjunctorum conſervatio. Oratio virginitatis ſigillum eſt, matrimonii fides, viatoribus ſcutum, dormientium cuſtos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium ſalus, ejuſdem cum Angelis honoris conditio, præſentium fructus, futurorum repræſentatio.

Chryſoſt. in Geneſim. Magna arma ſunt preces, magna ſecuritas, magnus theſaurus, magnus portus, refugii locus. Oratio enim colloquium eſt cum Deo. Quod ut ſcias, audi prophetam dicentem, Jucundum ſit Deo eloquium meum: hoc eſt ſermo meus appareat Deo.

S. Ma-

S. Macarius, Caput, inquit, totius boni inſtituti, ac vertex A honeſtarum actionum eſt perſeverare in oratione, cujus beneficio reliquas etiam virtutes poſtulantes à Deo quotidie obtinere poſſumus. *Homil.40.*

Quidam ex Abbate Agathone quærebant, quinam labor in terris eſſet & graviſſimus, & optimus? ad quæ reſpondit, Perſuaſum mihi habeo, eximium, maximèque utilem eſſe laborem rectè orare: nam omnibus modis Satan obſtacula obiicit oranti, ne ſuus Deo præſtetur honos, nec homini, quæ bona, & ſalutaria ſunt, eveniant. Quare quiſquis rectè Deum invocare volet, is ante omnia vitam ſuam emendans peccata abiiciet, deinde nihil, quod juſtè negari queat, à Deo petet, poſtremò ex intimo cordis affectu, & in vera fide ad Deum orabit. Et certò ejus oratio exaudietur. *in vitis Patrum.*

* NECESSITAS.

Duo hic reperiuntur errores. Prior eſt Meſſalaniorum, qui Uulgò Euchitæ appellantur, qui volebant orationem ſolam ſufficere ad ſalutem, ita ut nihil præter illam requirerent. De his *Theod. lib.4.hiſt.c.10.& Damaſc.lib.de 1000. hæreſ.*

Alter eſt Pelagianorum, qui volebant hominem ſolis viribus naturæ ſalvari poſſe, nec alio adminiculo gratiæ, vel orationis indigere. Vide *Auguſt.hæreſ.88.*

B At fide Catholici tenendum, orationem adulto vitam ſuam ad tempus notabile proroganti, neceſſariam eſſe, non tamen ſufficere: quia requiritur inſuper Baptiſmus, pœnitentia, &c. Neceſſitatem docent plura Scripturæ teſtimonia. *Eccl.c.18.* dicitur. Ne impediaris orare ſemper: quaſi dicat, ne ulla ratione à tam ſancto exercitio te permittas avelli.

Et apud *Lucam* Dominus, Oportet ſemper orare, & nunquam deficere, ubi ſemper explicant, quotidie, quomodo *Paulus* dicit, ſine intermiſſione orate 1. *ad Theſſ. ult.* id eſt, quantum fieri poteſt, ut interpretatur *Chryſoſt.*

Certè jure naturæ orare privatim tenemur Deum, ut vitæ, & ſalutis neceſſaria ab eo conſequamur, quamvis nullum certum tempus ad id ſit determinatum à natura, ſicut orationi publicæ tempus, & locum Eccleſia præſcripſit.

Poſſent tamen aſſignari aliquot eventus, quibus obligamur ad orandum. Primo in evidenti mortis periculo, præſertim, ſi graviorum culparum nos reos cognoſcamus. 2. dum ſacramenta ſuſcipimus, vel aliis præbemus, tunc enim ad gratiam nos diſponere tenemur. 3. In vehementi tentatione, cui aliter obſiſtere non valemus. Addit *Navar.4.lib. de orat.c.3.n.14* ſi quis adverſit, quod alterius exitium impedire non poſſit, niſi hoc præſidio.

C CHRISTUS ſanè in Evangelio petendi fiduciam nobis dedit, dum ait: Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. *Matt.7.* Iterum, vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.

S.Chryſoſt.lib.1. de orando Deum, ita de hac orandi neceſſitate ſcribit: Quiſquis non orat Deum, inquit, nec divino colloquio cupit alliduè frui, is mortuus eſt, & vita carens, experſque ſanæ mentis. Nam hoc ipſum evidentiſſimum eſt amentiæ argumentum, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi ſtudium, nec hoc habere perſuaſum, quod animæ mos ſit non provolui ad Dei genua. Quin inſuper quod oporteat quavis morte triſtius exiſtimare, ſi quis deprecatione privetur, pulchrè nos docet Daniel ille propheta magnus, qui maluerit emori, quàm triduo duntaxat arceri ab orando. *Et paulò poſt*: Arbitror, cunctis eſſe manifeſtum, quod ſimpliciter impoſſibile ſit abſque precationis præſidio, cum virtute degere, cumque hac hujus vitæ curſum peragere. Et enim qui fiat, ut quis virtutem exerceat, niſi continenter ſupplex ad genua accidat, ei, qui virtutem omnem largitur hominibus?

D *Et rurſus lib.2.* Jam verò ſi quis dicat animæ nervos eſſe deprecationem, mea quidem ſententia verum dixerit, quemadmodum enim corpus nervis cohæret, currit, vivit, ſtat, & compactum eſt: adeò ut ſi nervos incideris, univerſam corporis harmoniam diſſolveris: itidem animæ per ſanctas preces ſibi conſtant, & compinguntur, ac pietatis curſum facilè peragunt. Quòd ſi teipſum deſtitueris precatione, perinde feceris, ac ſi piſcem ex aquis extraxeris. Vt enim piſci eſt aqua, ita tibi deprecatio: per hanc datur velut ex aquis ſubvolare, cœlumque tranſcendere.

* QUIBUS CONVENIAT ORARE.

Convenit ſoli naturae rationali ſuperiorem agnoſcenti orare, quia oratio eſt petitio egentis ad Superiorem directa, ut ab eo deſiderata impetremus.

Itaque convenit Angelis, Sanctis, ut pro nobis petant bona ſpiritualia, & ſalutem: Immò & temporalia in ordine ad E ſpiritualia.

Sic dicit Angelus *Tob.12.* ſe obtuliſſe Deo orationes Tobiæ, quæ oblatio non fiebat nuda exhibitione coram Deo, cui omnia ſunt præſentiſſima; ſed cum deprecatione, ut eas Deus exauderet.

Apud *Zachar.c.1.* Angelus orat pro populo Judaico, Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis, Jeruſalem, & urbium Juda quibus iratus es? iſte jam ſeptuageſimus annus eſt, &c.

Secundo convenit aliis Sanctis, cum Deo regnantibus, & videntem omnia videntibus. Sic 2. *Machab.ult.* Onias Pontifex dii mortuus apparuit Judæ Machabæo, orans pro populo. Etiam Jeremias propheta: de quo Onias dicit, Hic eſt, qui multum orat pro populo, & univerſa civitate ſancta Jeruſalem, & tamen nondum erant beati.

Quam etiam ob cauſam exiſtimamus in Lege veteri ita ferventer refricari in orationibus memoriam Abrahæ, Iſaac, Jacob jam defunctorum, quàm quòd non dubitaretur de eorum ſolicitudine, & precibus, quas aſſiduè pro populo hic relicto effundebant?

☞ *Vide plura de his in loco de Sanctorum gloria, Invocatione, &c.*

Etiam animæ in Purgatorio exiſtentes orant, ut à pœnis ſolvantur. Hinc illis Eccleſia accommodat illa verba *Job*. Miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. An pro viventibus etiam orent, non ita certum, quamvis probabilius ſit eos etiam pro illis, quos in mundo reliquerunt ſolicitos, cum etiam epulo apud Lucam damnatus, pro fratribus ſuis curam ſuſceperit.

Interim Damnatis oratio non convenit, quia carent pio affectu, ex quo oratio procedere debet, ut ſit actus virtutis, poſſunt tamen aliqua deſiderare, & petere, quomodo Satan poſtulavit tentare Job, epulo mitti Lazarum, &c.

CHRISTI etiam Animæ competit divinitatem orare pro nobis Hoc enim promiſerat ad Patrem ex mundo tranſiens. *Ioan.* 14. Si diligitis me, mandata mea ſervate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, quaſi dicat, Nolite propter meum à vobis diſceſſum contriſtari, quia cum ad Patrem veniero, rogabo, ut mittat alium meo nomine, qui nunquam à vobis diſcedat.

Sic & *Ioan.1.epiſt.c.2.* dicit: Sed etſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum, quod ſane ineptè dicetur, niſi aliquid pro nobis petat. Hinc & *Paulus* dicit *Rom.8.* Chriſtum interpellare pro nobis, & *ad Hebr.7.* quę certè interpellatio non modo fit exhibitione, & præſentia ob- G jectiva humanitatis ejus, ſed per actum animæ, quo nobis petit miſericordiam, & ſalutem, & *S. Ambroſ. in locum illud ad Rom.8.* dicit: Chriſtus refurgens cauſam noſtram agit apud Patrem, ne inimicus aliquid violenter præſumat contra nos, &c. Igitur non ſolùm interpretativè pro nobis in cœlo orat Chriſtus, ſed etiam propriè, perinde ſicut pro Petro hic rogavit, ne illius fides deficeret, non quòd oratione ſua denuo mereatur, vel impetret, ut in hac vita fecerat: ſed quod exigat jus ſuis meritis debitum, & præmium jam ante à Patre impetratum, quod nobis applicari petit, & concedi.

Denique oratio convenit cęteris hominibus Viatoribus, omnes enim indigent corporalibus, & ſpiritualibus præſidiis, unde omnes Dei mendici ſumus, ait alibi S. *Chryſoſt.* ac miſericordiæ ipſius fores aſſiduè pulſare nos convenit, ut gratiam obtineamus in tempore opportuno.

* QUI ORANDI.

Orandus eſt ſupra omnia alia Deus opt. max. à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. In cujus domo gloria, & divitiæ: omniſq; ſapientiæ, & ſcientiæ theſaurus nunquam H deficiès. Unde & Saddai olim nominabatur, quaſi ſibi ſufficiès, αὐτάρκης, nullo indigens, quo omnia indigent, cum ſit velut cornu copiæ omnium rerum. Sic *Rabbi Saddias*: Ideò ait, Deus Saddai appellatur, quod ipſe abundet, & omnium creaturarũ defectu ſuppleat. In ipſo n. vivimus, movemur, & ſumus. *Act.17.*

Sancti quoque cum Deo regnantes ſive Angeli, ſive homines, licitè, & pie invocantur; non tanquam primarii auctores vitæ; & ſalutis, ſed tanquam adjutores, amici, commembra unius myſtici corporis: quamvis meliorem ſtatum ſortita.

Teſtimonia Scripturæ hujus rei clara ſunt: Jacob Patriarcha invocat Angelum, *Gen.48.* dicens, Angelus, qui me eruit de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.

Immò Job c.5. Voca, inquit, ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere, id eſt, Angelorum, quę Job

non reprehendit, etiamsi Eliphaz Themanites ea diceret.

A Judæi quoque soliti erant in oratione proponere merita Patriarcharum, ut constat *Exod.c.32.* quod autem illos non invocarent, erat, quia in limbo constituti, necdum preces ad se directas cognoscere valebant, prout nunc in verbo faciunt.

Denique Sancti pro nobis orant, uti titulo præcedenti dictum est: ergo orari à nobis possunt, ut id præstent: meminitque orationum, quas Sancti precantur. *Joan. Apoc. c.5. v.8.*

Synod.7. Act.6. Cùm timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ Dominæ nostræ Mariæ. Item Angelorum, & omnium Sanctorum, &c.

Conc. Trid. sess.25. mandat populum doceri, sanctos, cum Christo regnantes pie, & licite invocari, ac impiè sentire eos, qui id vetant fieri, aut idololatriæ arguunt.

☞ *Vide plura in Loco de Sanctis, ubi ex professo hoc argumentum ex universalis Ecclesiæ consensu, & historiis, testimoniisque veterum adferitur.*

* Pro Quibus.

Pro omnibus orandum est, qui nondum sunt in termino, etiam Inimicis nostris, omnibus enim salutem desideramus, & quantum commodè possumus, procurare quandoque debe-

B mus: Hoc est, quod Apost. dicit. 1. *Tim.2.* Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes: gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Quòd tamen sic venit intelligendum, quod nullum ab oratione nostra excludere debemus, at pro omnium salute intercedendum, quantum divinæ, cùm providentiæ, tum justitiæ ratio exigit. Omnes autem qui necdum in termino sunt, auxilio egent, & orationibus nostris, ut ad terminum deveniant, juvari possunt. De viventibus vita hac mortali, res est clara.

De iis, qui in Purgatorio degunt, ex quo sunt nobiscum membra ejusdem Ecclesiæ, & dum unum membrum patitur cætera compatiuntur; etiam extra controversiam est, quin orationibus vivorum juvari valeant, quod multis fusè à nobis demonstratur *in loco de Purgatorio*. Enim verò illi, qui jam terminum attigerunt, sive sint beati, sivè damnati, cum statum obtineant immutabilem, orationibus juvari non possunt, sic ut injuriam faciat martyri, qui pro martyre orat. juxta commune proverbium. Videatur. *August. lib. de corrept. & gratia cap.15.* Exempla, & historiæ *infra petantur* eorum, qui pro aliis orarunt.

* Quid Orandum.
In genere.

C Præmittenda hic est prudens, & verè amplectenda censura Ethnici *Iuvenalis*, qui *Satyra* 10. expendens varia, & stulta hominum vota, quomodo.

Evertere domos totas optantibus ipsis.
Di faciles. Item quòd *Nocitura toga, nocitura petantur*
Militia, & torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia:

multisque in hujus rei confirmationem adductis clarissimorum virorum exemplis, tandem inquiendo concludit:

Nil ego optabunt homines? Si consilium vis
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt Di.
Charior est illis homo, quam sibi, nos animorum
Impulsu, & cæca, magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris. At illi
Norunt, qui pueri qualisve futura sit uxor,
Ut tamen & poscas aliquid, voveasque sacellis
Exto, & candiduli divina tomacula porci.
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

D Ita pie, & Christiane Ethnicus.

Socratis dictum celebratur. A diis immortalibus nihil petendum ultra, quam ut bona tribuerent: quia ii demum scirent, quid unicuique bonum esset.

Etiam Menedemi Philosophi dictum est memorabile. Laudabilius est optare, quod deceat, quàm assequi, quòd optes.

Insuper alterius Philosophi Athenodori, qui nihil in occulto à diis petendum asserebat, quod non palàm petere quis auderet. Hinc apud *Persium Sat.2.* reprehenditur is, qui elata voce, ut adstantes audiant, orat: ut tit ei

Mens bona, fama, fides, hæc clarè ut audiat hospes.

Attamen ait:

Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat: ò si
Ebullet patri præclarum funus! & ò si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule! &c. Et infra.

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto,
Hoc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

E

Valerius *Maximus* elegantem etiam, & Christianam hac in re censuram habet *lib.7.c.2.* Densissimis tenebris, inquit, involuta mortalium mens, in quam latè patentes errores, cæcas tuas precationes spargis? divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt. Honores concupiscis, qui plures pessundederunt. Regna tecum ipse volvis, quorum exitus sæpè numero miserabiles cernuntur. Splendidis conjugiis inijcis manus, at hæc ut illustrant aliquando, ita nonnunquam funditus domos evertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis quasi felicissimis rebus inhiare, teque totam arbitrio numinis permitte. Quia qui tribuere bona ex facili solet, etiam eligere aptissima potest. *Hactenus Ethnici.*

Apud Christianos eas duntaxat petere docemur, quæ ad Dei gloriam, aut animæ nostræ salutem utilia sunt. Unde distinguunt *Theologi*, cùm *S. Thom.* ea, quæ à Deo petuntur, quod scilicet quædam absolutè petantur, ut sunt illa, quæ oratione Dominica comprehenduntur. De quibus paulò post. Alia vero petantur quasi sub conditione tacita, vel expressa, ut sunt honores, divitiæ, vita longa, uxor speciosa, & similia. Conditio autem est, si & in quantum nobis futura sunt salutaria: quod soli Deo notum est. Unde optima in istis orandi forma est, ut Deus nobiscum in illis agat, sicut novit expedire nobis ad gloriam suam, & salutem nostram.

Christus sanè instruens discipulos suos, quid, & quomodo orare debeant, ait: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Volens Ecclesiæ suæ perpetuum sui monumentum relinquere, immò efficacissimum adversùs omnia mala medicamentum, ut nomine suo invocato omnia à Deo impetremus. Ampla sanè promissio, & ingens thesaurus. Cæterùm quid sit petere in nomine Salvatoris, investigandum.

Quidquid petimus ait *S. August. Tract.73. in Joan.* adversùs utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris. *Rursus*, Non petimus, in nomine Magistri, quicquid petimus præter regulam ipsius magisterii, id est, præter formam, qua nos docuit orare. *Epist.121.*

Igitur petenda, quæ bona sunt, & ad Dei gloriam, nostramq; salutem conducibilia. Petitis, ait *D. Jacob. c.4.* & non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentias vestras insumatis.

In Evangelio Christus signanter dicit, Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se. *Matth.c.7.*

S. August. consideramus priora Domini verba: Si quid petieritis Patrem; illud solùm intelligit, quod ad salutem, & vitam æternam pertinet, in cujus comparatione reliqua nihil sunt. *Tract.102. in Joan. Basil. const. monast. c.2.* ita scribit: Munificentissimus, & augustissimus Rex noster est, & indignè fert quandocunque quis exiguum à se petit: multò magis si ea petimus, quæ minimè conveniunt. Voluit sanè Seneca sic nos vivere cum hominibus, quasi Deus videret: sic loqui cum Deo, ac si homines audirent. *Epist.10.* & *Aug.* sententia laudatur *Epist.121.* Non tam miserum est non adipisci, quid velis, quam adipisci velle, quod non oporteat.

S. Paulus inter alia Romanos docet, Spiritum S. nos adjuvare, & instruere, quia orare debeamus. Nam, inquit, quid oremus sicut oportet, nescimus. *cap.8.* Contingit enim sex modis nos in orando errare.

Errores in Orando propter Defectum hujus conditionis.

Errare contingit in orando, primò, si bonum temporale petitur animæ nocitum.

II. Si re aliqua carere optemus, quæ nobis ad humilitatem, aut aliarum virtutum exercitium prosunt, quomodo Paulus volebat liberari stimulo carnis, quando dicit se ter Dominum rogasse, &c.

III. Si quid petamus ex zelo indiscreto, uti iidem optarunt ignem de cœlo mitti in Samaritanos Christum respuentes.

IV. Si quid petamus ex ambitione; ut filii Zebedæi petebant primas in regno Christi.

V. Si petatur id, quod utilius est differri, ut per hanc dilationem studium orationis, & meritum perseverantiæ, ac virtutis in nobis accrescat.

VI. Et maximè, si petamus statum, vitam, modumque certù, verbi gratia, vivere in religione, sacerdotio, matrimonio; cùm Deus sciat alium statum nobis, & nostræ complexioni magis convenire, ut in eo salvemur, vel plus gloriæ adipiscamur.

Plurimi enim in matrimonio, & in sæculo damnatur, qui in

in cœlibatu salvarentur, & contrà. Hinc optima oratio est,

A petere quotidie, ut Deus iis mediis, & viis nos ducat, & regat, quæ peccati non habent scandalum, quibus prævidet nos rectà ad finem, id est, vitam æternam perventuros, & in ea sanctiores, ac beatiores futuros, ut in omni negotio, priusquam illud aggrediamur, oremus cum prophetà. Domine, quid me vis facere? paratum cor meum, Deus; vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.

Et cum Josaphat rege, 2. *Paral 20.* Cùm ignoremus, Domine, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te: Tu me dirige per illas vias, officia, exercitia, actiones, & passiones, quibus prævides me ad cælum, majoremque gloriam perventurum.

Sanè multa à Deo petimus, ut benè, & verè dixit *Juven. sup.* quæ futura essent noxia, si concedantur, unde *Aug. ser.53. de verb. Dom.* Multa Deus concedit iratus, quæ negat propitius.

Rachel uxor Jacob dilecta ita ardenter filios habere desiderabat, ut viro suo diceret, Da mihi liberos alioquin moriar. concessit ei Deus binos, at in partu secundi animam effavit. *Genes.* 30.

B Rebecca uxor Isaac, & per se, & per virum suum magna importunitate prolem à Deo flagitabat: verùm cùm ad partum deventum esset, duobus in ventre pugnantibus, tanto mœrore consecta fuit, ut diceret, Si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere? *Gen.25.*

* Quid Orandum. In specie.

Petendorum omnium summam cælestis magister brevis orationis: quàm quod Domini ore fuerit prolata, Dominicam appellamus, compendio complexus est. Nam ut rectè *S. Aug. ep.121. ad Probam*; Si pet omnia, inquit, sanctarum precationi verba discurras, quantum existimo nihil invenies, quod non ista contineat, & concludat oratio: non tamen omnia disertè continet, sed ea, quæ nobis potissimùm ob oculos habenda.

Divinam hanc rationem explicat *S. Thom. 2. 2. q.38. a.9.* alii eamdem explicarunt, unam hic dabimus *Leonardi Lessii lib.2. de Justit. & Jure cap.37. dubit.4.*

Oratio Dominica Explicatur.

C Constat oratio Dominica compellatione Dei, ad quem dirigitur septem petitionibus, & clausula approbrationis. Compellatio est, *Pater noster, qui es in cœlis.* Dicimus, *Pater noster*, potiùs quam Deus noster, quia patris nomen magis est idoneum ad excitandum in nobis amorem filialem, & fiduciam impetrandi, & ad Deum, intuitu adoptionis per Christum factæ, ad misericordiam flectendum.

In cœlis; quia tantùm in cœlis, seu cælorum civibus, seipsum aperit, & præsentem exhibet, alibi non videtur, sed ita manet absconditus, ac si illic non esset. Hoc additur; ut mentem sursum erigamus, & intelligamus verum patrem, & patriam, & hæreditatem nostram illic esse.

Sequuntur petitiones, quarum tres primæ pertinent ad bonum Dei, quatuor reliquæ ad nostrum.

Prima est, *Sanctificetur nomen tuum*; id est, quicquid tu nominaris, quidquid es, id sanctè ubique celebretur, sanctificare, enim, phrasi Hebræa est celebre facere, & colere, hæc sanctificatio consistit in tribus. Primò, ut Deus, ejusque majestas, potentia, sapientia, benignitas, providentia, justitia, misericordia ab omnibus cognoscatur. Secundò, ut Deus ab

D omnibus super omnia timeatur, & ametur. Tertiò, ut ab omnibus dignè colatur, & prædicetur.

Secunda, *Adveniat regnum tuum*: petimus impleri numerũ Sanctorum, & inchoari beatum illud regnum, quo Deus subiectis omnibus inimicis, & compressis adversariis potestatibus solus regnabit, eritque omnia in omnibus, juxt. Apost. 1. *ad Cor.15.* Insinuat hanc expositionem *Tertull. de orat. Rupert. & Theoph. in hunc locum.* Hoc regnum Dei maximè desiderare debemus, quia in eo gloria ipsius completa erit, nec aliquis amplius eam obscurabit, aut eiresistet, sicut modo fit, quando peccatores illum contemnunt.

Tertia, *fiat voluntas tua*, &c. Petimus, ut sicut in Cælo fit omne id, quod Deo placitum est, & gratum, nihil quod ejus voluntati repugnet, ita etiam fiat in terris Itaque petimus, Primò, (quantum humana fert conditio) exactam mandatorum observationem, non quidem nostra causa, ut est bonum nostrum, sed ut est quoddam bonum Dei, quo ipse delectatur, undè etiam implicitè petimus auxilium nobis, & cæteris mortalibus ad hoc præstandum; & ut Tertullianus ait, Petimus substantiam, & facultatem voluntatis ipsius subministret nobis, ut salvi simus, & in cælis, & in terris. Deinde etiam in omnibus rebus aliis, divinum beneplacitum præponimus nostris E affectibus, & commodis, ut si Deus velit nos esse pauperes, infirmos, inglorios, mori, vivere, si tollere uxorem, liberos, parentes, acquiescamus in ejus sanctissima voluntate; & dicamus cum Christo, Non mea, sed tua voluntas fiat, & cum Machabæo, sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.

Quarta, *Panem nostrum, &c.* Petimus hic nobis quotidiana subsidia corporis, & etiam animæ, ut plerique DD. explicant, præsertim panem illum cœlestem, quo alimur ad vitam æternam. Græcè est τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον. Hoc dupliciter verti potest. Primò, ut passim in oratione dominica recitari solet, & *Lucæ* 11. habetur, Panem nostrum quotidianum, quo modo antè D. Hieronymum verterunt passim Latini, *Tertullianus, Cyprianus*, & alii. Secundò, ut habetur *Matt.6.* Panem nostrum supersubstantialem, quo modo vertit S. Hieronymus, utraque versio bona est.

Sed adverte, vocem, supersubstantialem, non esse ita accipiendam, ut solùm significet id, quod est supra substantiam, quod *Dionys. Areop.* passim ὑπερούσιον vocat, sic enim ea petitio solum pertineret ad panem cælestem, ut Eucharistiæ, & visionis divinæ, ne peterentur subsidia temporalia, quod est F contra communem fidelium sensum. Deinde Apostoli non potuissent tunc temporis intelligere, quid Dominus istis verbis sibi vellet: nondum enim noverant illum cælestem panem, quare vox ista est accipienda, ut planè respondeat voci ἐπιούσιον, & super accipiatur, non pro supra, sed pro ad, seu juxta, Græcè ἐπὶ: & significetur omne alimentum substantiæ nostræ congruens: hoc enim propriè est ἐπιούσιον, ut rectè *Suidas* interpretatur; quasi dicas ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἀρμόζον, undè idem rectè dicitur quotidianus, nam natura nostra quotidiè refici debet, & alimento congruenti sustentari. Additur *Hodiè*, tum ut significetur cavendam sollicitudinem in crastinum, tum quia quotidiè hæc oratio fundenda, necessaria à Deo petenda, cum assiduè ab ipsius beneficio pendeamus.

Quinta, *Dimitte nobis*, &c. Petimus nobis condonari delicta nostra: nam debitum in Scripturis delicti figura est, ut ait *Tertullian.* quia delicti effectus, & germen. Nam ex delicto duplex debitum contrahitur, culpæ, & pœnæ.

Debitum culpæ, est obligatio compensandæ injuriæ per peccatum Deo illatæ. Hoc debitum si ex peccato mortifero G ortum sit, nullo modo ad æqualitatem solvi potest à nobis, sed à solo Christo.

Debitum pœnæ est obligatio sustinendi pœnam æternam, vel temporalem utrumque petimus nobis ignosci.

Sicut & nos dimittimus, &c. Illud, sicut, non significat regulam, quam Deus in condonandis peccatis sequatur, quasi petamus, ut Deus non benignius, & promptius, nec majora condonet nobis, quam nos proximis nostris, sed causam inductivam, ut patet ex Luca *cap.* 11. ubi sic dicitur, Dimitte nobis debita nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Est enim conditio quædam, quam Deus à nobis requirit. Tenemur autem debitoribus nostris dimittere, non pecuniam, non famæ, & honoris restitutionem; sed injuriam nobis illatam, ita ut propter illam non prosequamur eos odio, nec velimus vindictam privatam, nec etiam publicam, nisi quando bonum publicum, aut recta ratio aliud postulabit.

Sexta, *Et ne nos inducas in tentationem, &c.* Petimus, ne Deus permittat nos ulla tentatione vinci, sicque nos semper dirigat, ut nunquam succumbamus: hoc enim est induci, H seu ut Græcus textus habet, inferri in tentationem μὴ εἰσενέγκῃς ne inferas, id est, ne sinas inferri. Interdum enim dicitur Deus facere, quod permittit, quia fieri nisi ipso annuente, & manum omnipotentiæ suæ laxante, non potest. Sic *Matth. 26.* Dominus monet, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, id est, ne tentationi cedatis. Causam addit, quia spiritus, id est, Diabolus, promptus est ad tentandum, & incitandum ad peccata, caro autem, id est, homo, infirma, ad resistendum, sine ope divina.

Septima, *Sed libera nos à malo*, Petimus hic liberari ab omnibus diaboli, & consequenter etiam malorum hominum, qui sunt membra ejus, inlidis; à malo, Græcè est ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, quo nomine Diabolus significari solet in Scripturis. 1. *Joan.5.* Malignus (ὁ πονηρὸς) non tangit eum. Et, Totus mundus in maligno positus est, id est, sub diaboli potestate. *Et 1. Joan.2.* Vicisti malignum. *Matth.5.* Quod his abundantius est, à malo est, & alibi.

Clausula *Amen*, quam *Hieronymus* vocat signaculum Orationis Dominicæ, est approbantis, & optantis, ut ita fiat. Græcis

cis, γένοιτο, P/.40. Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo
A & in sæculum, fiat, fiat. Græcè γένοιτο, γένοιτο. Idem habetur
Psal.71. ult. per se tamen idem valet, quod verè, teste
Hieronym.

* ORATIONIS STUDIUM.

Doctrinam præcedentis Argumenti nunc paucis Exemplis, & historiis cùm sacris, tum profanis adferemus. Ac primùm illorum.

QUI ORANT.

Sequuntur Exempla eorum in particulari, quibus non modò conveniens est orare: sed illorum, qui de facto oraverunt.

* CHRISTUS DOMINUS.

Non unius duntaxat Scripturæ testimonio docemur, Christum tam pro se, quàm pro nobis cœlestem Patrem orasse, ac nobis orandi formam, & modum cùm documentis, tum maximè exemplo suo præscripsisse: Nam imprimis ante orationem, ut pie nos præparemus, jubet: & comites nos habere vult, fidem, spem, & charitatem. Hinc ait, omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Matth.* 21. Item Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri meo dare vobis regnum. *Lucæ* 12. Denique, cum stabitis ad orandum,
B dimittite, si quid habetis, &c. *Marci* 11.

Delectat autem illum, quicquid de Scripturarum fontibus hausturum orando effundimus, quod Prophetæ, quod Apostoli nobis tradiderunt, sed præcipuè quod Dominus noster Jesus Christus. Ipse enim est patris verbum, ora Patrem tuum in abscondito. Vel faciens: Quando dimissa turba ascendit in montem solus orare.

Tempus etiam orandi præscripsit & vespertinum, Vespere facto orans in monte; & nocturnum pernoctans in oratione: & antelucanum, valdè diluculo surgens, & in desertum locum secedens, ut ibi oret: & penè continuum, dicens, Vigilate omni tempore orantes.

Assiduitate denique in orando opus esse, cùm verbis docuit, tùm exemplo significavit. Dormientibus Apostolis, ipse vigilans iterum, & tertiò, eundem repetendo sermonem orasse dicitur. Et ut Lucas ait: Factus in agonia prolixiùs orabat, ne scilicet aliter egisse videretur, quàm præcepisse. Præceperat autem similitudinem afferens, ac dicens: Si quis nocte intempesta ad amici pulsans fores perseveret, ipsa poscendi improbitate coget illum de strate suo surgere, & panes, quos
C petierat, se mutuò dare. Parabolam etiam proponens Judicis Deum, hominesque contemnentis, qui viduæ quotidiè interpellantis victus tædio, eam ab adversarii sui calumnia tandem decrevit vindicare: Audite, inquit, quid Judex iniquitatis dicit, Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? Non vindictam intelligas contra inimicos, quos diligere jubemur, sed contra tentationes, quibus resistere nemo valet, nisi Domini ope, auxilioque adjutus fuerit. Quamdiù ergo cum his nobis colluctandam est, tamdiù & orandum. Neque huic sententiæ illam contrariam putemus, quam idem salutis nostræ autor, ac doctor protulit, dicens: Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt. Ethnici enim, id est, gentiles longas orationes orabant, orandi affectum non habebant. Itaque non multum orare prohibuit: sed eos, qui labiis multum, corde parum orant, imitari. Ideòque subjunxit: Nolite vos assimilari eis.

ECCLESIA, COETUS PIORUM.

Ecclesiæ Hierosolymitanæ preces à Domino exauditæ pro Petro, qui ab Herode in vincula conjectus, post Pascha sup-
D plicio afficiendus erat, *Act.* 12.

PROPHETÆ, APOSTOLI, SACERDOTES.

Plagæ Ægypti, Moyse intercedente, cessabant: multiplicabantur autem, & ingravescebant, quoties Pharao ad cordis sui duritiam, perversitatemque redibat, ut & oratione averti mala intelligas, & obstinatione augeri. Idem dum populus Israeliticus Josue duce contra Amalechitas decertaret, stans in vertice collis orabat. Cumque manus in cœlum tolleret, vincebant Israelitæ: cùm remitteret, superabantur. Perseverandum enim est, ut vincas. Ipse deinde non lassatis manibus usque ad occubitum Solis orans, suorum gladiis terga præbuit hostium. Ad hæc Dei iram, quoties ille populi flagitiis, ac sceleris provocatus excandescebat, deprecando placavit. Ob adorationem vituli videbatur velle Dominus populum delere. Sed Moyses oratione obtinuit veniam: Aut, inquit, dimitte ei hanc noxam, aut dele me de libro vitæ, *Exod.* 32. Mariam sororem lepra perfusam mundavit. *Numeror.* 11. Pestilentiam in diffidentes grassaturam inhibuit. In seditionem ver-
E sos omnes pariter cum Datan, & Abiron repentinus terræ hiatus absorbuisset, nisi ipse reliquæ multitudini veniam orando impetrasset. *Exod.* 17. Rursus cùm in illum, & Aaronem curbæ insurgentes incendio divinitùs excitato dispe-rirent, ejus monitu Aaron obtulit thymiama, processit in medium: & cùm orasset, flamma subsitit, internecio cessavit. *Marul. lib.* 2. *cap.* 2. *ex Num.* 11. Cùm in deserto in Deum murmurantes, passim serpentum ictibus sternerentur, supplicante pro eis Moyse, Deus placatus, æneum serpentem in ligno suspendi præcepit, quem percussi dum aspicerent, sanabantur. *Num.* 31. Percussum quippe erat humanum genus antiqui serpentis mortifera seductione: sed Deo miserante Christum in ligno pendentem vidit, & remedium accepit salutis. *Marul. lib.* 2. *c.* 2. *& Sab. lib.* 2. *cap.* 5.

Ad orationem Heliæ prophetæ annos tres, & menses sex non pluerat super terram, donec rursus oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra fructum suum, Sareptanæ viduæ, quæ illum famis tempore hospitio susceperat, hydria farinæ non defecit, nec lecitus olei fuit imminutus: & quæ fame moritura erat, hospitis beneficio vixit. Insuper filium suum F
defunctum ipsius precatione vitæ restitutum accepit. Eodem propheta invocante, ignis de cœlo lapsus quinquaginta, & quinquaginta viros, alios post alios, ab Ochozia rege ad ipsum comprehendendum missos consumpsit. Invocavit autem ille, non ut se vindicaret, sed ut Dei veri immensam, expavescendamque potentiam contra prævaricatores, qui eo relicto Beelzebub deum Acharon adorabant, ostenderet. Post hæc Jordanem transiturus, comitante Heliseo, pallio percussit flumen: & divisis aquis, per siccum alvei tramitem ambo ad ripam ulteriorem pervenere. Eodemque rursum pallio Heliseus, cùm solus revertereur, eandem expertus est virtutem. Quòd si tanta vis in prophetæ pallio erat, quantò major in oratione ejus? Quam etiam rimatus est secreta cœli, & prævidit futura, & vivens, atque sentiens è mortalium consortio ad paradisi loca transferri meruit. *Et* 3. *Regum* 17. *Marul. lib.* 2. *c.* 2. *& Sab. lib.* 2. *cap.* 5.

Helisbus propheta ad Hierichuntem aquas, potantibus noxias, cùm orasset, salubres fecit, terræ sterilitatem fæcunditate mutavit. Ascendens in Bethel, pueris sibi illudentibus malè imprecatus est: non ut suam, sed ut Dei injuriam G
ulciscereturi: qui statim ab ursis laniati, pœnas dederunt. In Samaria mulieris viduæ inopiam miseratus, modico oleo non modica vasa implevit, ita ut illa, eo vendito, & à creditore se redimeret, & victum, qui satis esset, sibi, filiisque pararet. In civitate Suna mulieri hospitæ insecundæ, ac sterili, ut viro suo filium pareret, à Domino impetravit. Et eundem puerum posteà examinem ad vitam revocavit. Reversus in Galgala, pulmentum amarissimum in dulce convertit. Panibus viginti hordeaceis viros centum satiavit, & superfuit. Naaman Syrum à lepra curavit. Securis ferrum, in Jordanem delapsum, enatare fecit. Obsessus in Dothaim, adversariis subita cæcitate percussis, liberatus est. Super ossa ejus defuncti projectum cadaver statim revixit: ut vel hinc facilè disci possit, quantæ ille virtutis fuerit vivens, qui mortuus alteri mortuo vitam dedit. *Marul. lib.* 2. *cap.* 2. *& Sab. lib.* 2. *cap.* 5.

Cùm Ozias pontifex, cum sacerdotibus, viduis, & pupillis ad Dominum clamaret, Heliodoro quæstore regio pecuniam in templo depositam auferre conato, spectro obiecto Heliodorus ferè exanimatus fuit. Idem tamen precibus pontificis H
vitæ restitutus peccatum suum agnovit. 2. *Machab.* 3. Idem precibus suis pluviam à Deo impetravit. ☞ *Vide Tit. Pœna erudelitatis erga sacros homines.*

Recedens Paulus ex Achaja post paucos sermones, & pia verba, positus genibus, cum omnibus illis oravit. *Act.* 20. Cùm orasset in templo Paulus, in extasim raptus, audivit Jesum dicentem: Festina, & exi velociter Hierosolymis. *Act.* 22. Idem orabat pro aliis: Memoriam vestri facio semper, inquit, in orationibus mei, si quando prosperum iter habeam: in voluntate Dei veniendi ad vos, *Rom.* 1. *Et ad Tit.* Sine intermissione habeo tui memoria in orationibus meis nocte, ac die, desiderans te videre. Item pro Thessalonicensibus, Oramus semper pro vobis, ut vos dignos habeat ista vocatione Dominus Deus noster. 2. *Thess.* 1. Et pro Philippensibus: Hoc oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet. *Philip.* 1. Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis Dei. *Coloss.* 1.

REGES,

REGES, PRINCIPES.

A EZECHIA rege Juda deprecante, cum in extremo rerum periculo esset constitutus, nocte unà Angelus Domini percussit in castris Sennacherib. CLXXXV. millia Assyriorum. Sicque cum, quem arma nequiverant, oratio servavit. Idem adversa valetudine graviter affectus, cùm Isaia prophetante se jamjam decessurum audisset, facie ad parietem versa, multis cum lachrymis Deum rogando, & vitæ longius spacium, & corporis impetravit sanitatem. Nonne magnum hoc, & admirabile, ut pœnitentis oratio mutet Dei sententiam: & quem Deus ipse morti jam addixerat, cum rursus ne ægrotare quidem permittat? *Marulus lib.* 2. *c.* 2. *ex* 4. *Reg.* 19. *& cap.* 21.

THEODOSIUS junior omnibus Dei opt. max. auxilium implorabat, sive bella imminerent, sive aeris tempestas de sæviret. Unde Leo Pontifex summus eum semper religiosissimum & piissimum Augustum appellat in suis epistolis, quas plures ad eum scripsit. *Cusp.* Cum tota Ecclesia supplicationem fecit pro serenitate, & ipse medius hymnis canendis præivit, privati habitu. Cùm diuturno terræmotu universa Constantinopolis concuteretur, Theodosius, & Episcopus Proclus cum civibus extra urbem periculi vitandi gratia egressi, ardentes ad Deum
B pro liberatione preces fuderunt. *Niceph. lib.* 14. *cap.* 3. *& 46.*

CAROLUS V. Imp. novas preces in singulas expeditiones concipiebat, suaque manu conscribebat, septem ferè Psalmorum longitudine productas: & has à suis confessoribus approbatas, quotidiè in agmine, & acie existens legebat. Divertebat nonnunquam (cùm in oratione incalesceret) per speciem lotii reddendi, aut alvi exonerandi ab agmine, ut prolixiùs, ferventiusque oraret. Illas autem preces Adriano Sylvano custodiendas dabat: mandabatque (si quis durior ei casus accideret) ut eas disceperet. Idcircò de eo quidam dicere solebant: Carolus sæpiùs cum Deo, quàm hominibus loquitur. *Guliel. Zenoccarus lib.* 5. *de vita Caroli.*

DUCES, MILITES.

CORNELIUS centurio, vir religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas, & deprecans Dominum semper: propterea audivit ab Angelo: Orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. *Act.* 10.

NARSES eunuchus, Justiniani dux, in pauperes munificus, in reparandis templis liberalis, sobrietatis studiosus fuit, de-
C nique precibus ad Deum multò magis, quàm armis victoriam obtinuit. *Paul. Diac. lib.* 2. *de gest. Longob. cap.* 3.

CONJUGES.

ELIZABETHA Lantgravii Thuringiæ principis uxor, impetrata à viro noctis continentia, ad orationem secedebat, super pavimentum distento tapetulo cubitans, ne molliùs jacenti altior somnus horas interciperet orandi. Vir quoque sanctitudine illius delectatus, ad ea, quæ Dei sunt, magis, magisque inflammabatur. Inde & quòd petebat facilius concedere, & ipsemet impensius orare. Diceres eos identidem recordari illud ab Apostolo præceptum: Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Ita ambo ejusmodi curæ pariter incumbentes, spiritui magis, quàm carni servie bant. Sed illa deinde viduitate facta liberior, tantò soli Deo intenta oravit ardentiùs, quantò à rebus familiaribus, jam aliena vixit expeditius. *Marul. lib.* 2. *cap.* 1.

SUBDITI.

* Erat LUDOVICUS Palatinus venandi studio deditissimus, & publico edicto districtim caverat, ne quispiam cervis, aliisque feris nocumentum inferret. Factum autem, ut illis om-
D nia passim vineta vastantibus, querelæ deferrentur ad Proceres, & per eos ad ipsum Ludovicum: Dicebant enim, Nisi edictum hoc mitiges, eris posthac expers precum tui populi. Quo audito ille; Si ita fore existimatis, malim carere, ait etiam tota vita ferinis ferculis, quàm meorum precibus. Sciebat sanè quanta esset puræ Orationis virtus, quæ eò pergit, & penetrat, quò caro pervenire, & penetrare nequit. *Timoth. Berch. in Orat. Ludovici Principis.*

☞ *Hucreferantur plura ex Titulis proximè sequentibus.*

QUID ORAVERINT. HIC PETITIO

SPIRITUS SANCTI.

Apostolis, & fidelibus orantibus, contremuit, in quo erant, repletique sunt omnes Spiritu sancto, divinumque sermonem liberè eloquebantur. *Act.* 4.

PETRUS, & Joan. oraverunt pro Samaritanis, ut acciperent Spiritum sanctum, & impositis manibus acceperunt Spiritum sanctum. *Act.* 8.

MIRACULORUM.

B Incredibilia multa operandi facultatem discipulis suis concesserat Dominus. Sed ne miraculorum auctor ignoraretur, à Deo ea petere credentes voluit: Quodcumque petieritis, inquit, Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio. Et iterùm: Quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Et quid mirum, quòd sic ad nos filius, si sic etiam ad Filium Pater? Postula à me, inquit, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hinc illum in Evangelio non semel orantem legimus, quandoque tamen propria potestate utentem: ut nec solùm hominem, nec solùm Deum credas: sed & Deum, & hominem unum Christum Jesum, doctorem, ac salvatorem nostrum. *Marul. l.* 2. *c.* 2.

SAPIENTIÆ.

SALOMON rex cum duodecim esset annorum, & in somnis à Deo, quicquid vellet, petere juberetur, non opes non victoriam, non vitam longævam, sed sapientiam petiit, Dominumque deprecatus est. *Sapient.* 9.

DIDYMUS Alexandrinus, præsul Cæsariensis, inflammatus desiderio litterarum, non desperavit, assiduis precibus apud F
Deum id impetrare, quod natura consequi non erat. Miscebat preeibus studia, licèt cæcus. *Ruffin. lib.* 11. *Hist. Eccles.*

JACOBUS Apostolus ait: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter: & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Cujus rei exempla quædam *petes ex Tit. Divinitus edocti. Marul. l.* 2. *cap.* 2. *& Sab. lib.* 2. *cap.* 5.

AVICENNA medicorum Arabum facilè princeps, si difficilem aliquem locum inter studendum per noctem observasset, manè templum ingressus, factaque ad Deum cœli, & terræ (qua de causa inter pios connumerari meretur: propter Mahometum aliqui inter superstitiosos collocandus) oratione, vesperi ad consueta studia revertebatur: tanto successu, ut sæpè dormiens arduas maximè, quæstiones enodaret, quas vigilans non potuerat solvere. *Solorzanus in ejus vita.*

PECCATORUM REMISSIONIS.

ÆGIDIUS, Nemausensi monasterio præfectus, pro Caroli Martelli occulto delicto orans, exauditus est miraculosè. Si G
quidem orante eo, scheda in altari fuit reperta, delicti expresè mentionem faciens, idque condonatum esse illi indicans *Bergom. lib.* 10. *& Volat. lib.* 21. *& Vincent. lib.* 23.

VITÆ MELIORIS.

STEPHANUS Abbas ordinis Grandimontensis institutor, dum Montis Moreti (qui est in Aquitania) solitudinem incoleret, pro milite quodam, ut flagitium, in quo obstinatior videbatur, dimitteret, oravit. Hinc ille, qui neque jam ab eo desistere se posse, neque si posset, velle dixerat, repentè mutatus peccatum suum flevit, vitamque correxit. *Marul. lib.* 2. *cap.* 2.

D. ELIZABETHA post mariti Ludovici Thuringiæ Lantgravii mortem Xenodochio Marpurgi extructo, pauperibus inservi-ens, Monasticam vitam amplexa, cùm prætextatum spectasset adolescentem mox percontata, An ne oratione sua ad ineundum salubriorem vivendi modum adjuvari vellet; cùm ille voluntati preces adjecisset, sic pro ejus salute Deum exoravit, ut ordinem fratrum Minorum subierit. Et ingenuè confessus est, se illa orante ita intimis flagrasse præcordiis, ut ardori remedium nullum invenerit, donec vitam mutare decre-H
vit. *Marul. lib.* 2. *& Bonfin. lib.* 7. *Dec.* 2.

THEODORA Romana, Sisinii conjunx, à Clemente Pontifice conversa, & ob hoc à viro infideli odio habita, pro conversione ejus, oravit, exaudita est. Petrus Apostolus oranti apparens, Sisinium precibus ejus à Domino concessum nunciavit. Hinc demùm deposito errore, Sisinius Christianitatem accepit: & vir infidelis per mulierem fidelem salvatus fuit. Non illum suasionibus, non argumentis est aggressa; ne pervicacis animi hominem, dum lenire nititur, gravius irritaret. Tacita Dominum rogavit, & lupus in agnum mutatus est: factaque sunt prava in directa, & aspera in vias planas. *Marul. l.* 2. *c.* 5.

LIBIDINIS RESTINGUENDÆ.

S. ANDREAM Apostolum ferunt, cuidam Nicolao nomine, qui toto vitæ tempore libidinibus deditus, ab his discedere, non poterat, deprecando continentiam à Domino impetrasse, & illum pœnitentia ductum castitatem deinceps perpetuò custodisse. Plerique elata corpora oratione ad vitam revoca-

revocarunt: Andreas animam diù in peccatis mortuam fusci-
A tavit. *Marulus lib.2.c.4. & Sabell. lib. 2.c. 5.*

LUPI Senonum Archiepiscopi oratio quædam ex clericis mulierum libidinibus deditis ad continentiam adduxit: quosque dudum meretricius amor gravi odio inter se diffidere fecerat, eos illo orante conscientiæ stimulus ad pœnitentiam, pœnitentia ad castitatis studium egit. Conversis igitur, veniamque petentibus tam facilè præsulis pietas indulsit, quàm ardenter, ut converterentur, oraverat. *Marul. lib.2. c.4. & Sab. lib.2. cap.5.*

SERENI monachi preces de castitate obtinenda exaudita fuisse scribit *Cassianus*: Nam nocturna aliquando visione Angelum aperta sibi alvo, ignitam carnis portiunculam visceribus evulsam, quam strumam ipse appellat, eximisse, atque inde factum, ut deinceps ne minimas quidem titillationes carnis senserit.

GERALDUS generis nobilitate, & divitiis pollens, cùm in cujusdam villici servi sui filiam oculos conjecisset, forma ejus captus, decrevit puellam domi suæ convenire. Sed priusquam id fecisset, oravit. Ut verò peracta oratione illam adiit, usque
B adeò deformis illi apparuit, ut hanc ipsam esse, quam adamaverat, vix crederet. Itaque intactam relinquens ad se rediit, & turpis propositi pœnitens, filiam dote, patrem libertate donavit. Postremò monachus factus, in catalogum Sanctorum receptus est. *Marulus lib.... cap.4.*

IMPIETATIS, SUPERSTITIONIS TOLLENDÆ. Religionis conservandæ.

Apud Cæsaream Philippi, quàm Phœnices Paneadam vocant, ajunt, ad fontes illos, qui in radice montis Panei ostenduntur, unde Jordanis profunditur, festo quodam die solitum fuisse ab ejus loci incolis victimam aliquam offerri, illamque virtute dæmonis mirabili modo nusquam comparuisse, & id miraculum in oculis præsentium admodum visum esse præclarum. Affyrius Rom. senator aliquando præsens, levatis in cœlum oculis, Deum omnipotentem per Christum oravit, ut dæmon ille populi seductor proderetur, & à mortalium seductione cohiberetur. Itaque victima illa confestim in ipsa fontis superficie natavit, atque stupor astantibus exemptus:
C nec postea quicquam miraculi eo in loco contigit. *Eusebius lib.7. cap.17.*

AMBROSIUS Mediolanensis Episcopus, à Valentiniano Il. Imp. instinctu Justinæ matris Arrianæ mirè agitatus, jejuniis, vigiliisque, sub altari positus, per obsecrationes divinum sibi, atque Ecclesiæ præsidium invocabat. Erat illo tempore Mediolani Augustinus Tagastensis, qui posteà Hipponensem Ecclesiam Episcopus rexit. Is superioribus annis ex Africa profectus, rhethoricam Romæ, deinde Mediolani docuerat, atque Ambrosio cognitus, propter ingenii præstantiam acceptissimus fuerat. Itaque, cùm assiduis ejus concionibus interesset, in Paschate ab eodem salutiferum quoque baptismatis sacramentum accepit. *Sigon. lib.19. Imp. occid.*

ARRIUS, Constantinopolim à Constantino magno evocatus, cùm venenum suum spargere pergeret, ab Alexandro civitatis Episcopo Ecclesiæ communione semotus gravia cum illo certamina iniit. Quibus ut modum imponeret Constantinus, die quodam Sabbati ipsum in aulam vocavit, atque ab ejusdem fidei suæ formulam postulavit: & cùm aliam ille fidem verbo, aliam mente professus esset, eundem sentire cum Catholicis arbitratus, Alexandro, ut postridiè in communionem re-
D ciperet, imperavit. Prioribus diebus Alexander prævalentibus adversariorum se premi opibus conspicatus, humana ope deplorata ad divinam confugerat, atque in templo Pacis per multas noctes effusis lachrymis Deum oraverat, ut Ecclesiæ suæ periclitanti adesset, in primisque, ut Arrius tantarum turbarum concitator meritas aliquando pœnas expenderet. Cujus precationis votum aut irritum esse Deus permisit. Nam Arrius postridiè, cùm ab aula Imperatoris digressus magna Eusebianorum caterva stipatus, alacris ad Alexandrum, ut Ecclesiæ sociaretur, contenderet, in ipso victoriæ suæ articulo expiravit. Siquidem ubi ad Forum Constantini pervenit, laxata fortè alvo locum latrinæ quæsivit: & mox cùm in præmonstratum locum fecessisset, divina voluntate viscera simul cum excrementis ejecit, ac repentè fœdissimo genere mortis perculsus interiit. Cujus rei fama per totam subitò urbem pervagata, ingenti omnes stupore defixit: imprimisque intolerandam jam Arianorum insolentiam labefecit. *Sigon. lib.14. Imp. occid. ex Theodoreti lib.1. cap.14.*

VITÆ RESTITUENDÆ.

PETRUS Apostolus antequam Thabitam ad vitam revocaret, ejectis omnibus foras, ponens genua, unicè Deum oravit, divinum implorans auxilium, & deinde dixit: Thabita, surge. At illa aperuit oculos: & viso Petro sedit. *Act.9.* Idem in carcere, catenis duabus vinctus, militibus custoditus, orante pro eo Ecclesia, ab Angelo liberatus est. *Marulus lib.2. c.4. & Sab. lib.2. cap.5.*

VITÆ CONSERVANDÆ.

Jonam prophetam de ventre ceti ad Deum clamasse legimus, & die tertia à pisce in aridam ejectum. Grande profectò miraculum, tum quòd deglutitus ramdiu intra alvum vixerit, tum quòd ejectus nusquam læderetur, impegerit. Utrumque tamen hominis precibus ab eo, qui omnia potest, datum. *Marul. lib.2. cap.1. & Sab. lib.2. c.5.*

Valens Imp. cùm Basilium Cæsariensem diù, multùmque convitiis, ac contumeliis vexasset, & ea nocte uxor Valentis maximis doloribus correpta, filia insuper parvula extincta esset, Valens Basilii assiduis precibus ad Deum fusis, saltem servatus est: ut refert *Ruffinus lib.13. Hist.*

Gerardus, D. Bernardi Clarevallensis Abbatis frater, qui domestica omnia pro eo curabat, in peregrinatione Italica Viterbii lethali morbo correptus fuerat, ibi tunc D. Bernardus, ægrè ferens comitem peregrinationis in terra relinquere aliena, nec refignare his, qui cum sibi commiserant: conversus ad preces. Expecta, inquit, Domine, usque ad reditum, restitutum amicis tolle jam eum, si vis, & non causabor. Preces ratæ fuere. Nam anno vix exacto cùm reversi essent Clarevallem, vivis excessit. *D.Bern. ser. 26. super Cantica.*

FAMIS ABIGENDÆ.

Benedad Syriæ rege Samariam obsidente, oppidani fame laborabant, ita ut quædam mulieres à filiorum esu non abstinerent: quando humiliatione Joram Samariæ regis, qui cilicio se induerat, die uno summa inopia in summam versa est copiam. Syri enim horrendo animorum strepitu divinitùs excitatos, vehementer perterriti, relictis impedimentis, omnique supellectili dimissa, fugam fecere. Samaritæ verò egressi direptis castris insperata præda ditati sunt, & modius similæ stetit statere uno, sicut prædixerat Helisæus, & duo modii hordei
G statere uno. *Marulus lib.4. cap.9.*

Ladislaus Ungariæ rex, cùm per Getarum solitudines Bessos insequeretur, qui ingentem pecorum hominumque prædam ex Ungaria abegerant, & fame nimia laboraret exercitus: exorato Christo opt. max. in tantum, mox corvorum, bubalorumque gregem incidit, ut esurientem abundè militem pavetit. *Bonfin. lib.4 Dec.2.*

SITIS, SICCITATIS TOLLENDÆ. PLUVIÆ. Aquæ impetrandæ.

Orans Elias Propheta pro pluvia, dixit puero suo, ut prospiceret versus mare, an nubem consurgere pluviosam videret. Septima demum vice apparuit nubecula, & data est pluvia. 2. *Reg.* 18.

Donatus Eubœæ in Epiro antistes, cùm regio illa arida esset, aliquando ex itinere fessus comites aquæ penuria languentes conspicatus, primùm Deum precatus est, deinde terram manu fodit, atque illicò fontem aquæ vivæ produxit. *Niceph. lib.12. cap.45.*

M. Antonini, & M. Aurelii. Commodi exercitus, bello adversus Quados, Vandalos, Sarmatas, & Germanos, aridis lo-H
cis conclusus, siti vehementi laborare cœpit. Rebus in summo discrimine constitutis, subitò de exercitu in auxilium commune progressa Christianorum legio est: quæ genubus in terram incurvatis prostrata, conjunctis certatim ardentibus precibus geminum illicò beneficium à Deo impetravit. Nam & ex imbre largiori cœlo demisso, aquæ gratissimæ collectæ, militibus ad sitim sedandam sufficiebant, & è regione propius incumbens hostium numerosus exercitus fulminibus frequentibus disjectus est. Imperator æquior, ac benignior deinceps Christianis fuit, ac litteris etiam ad plurimos missis, ut *Tert. in Apol.* ostendit, tum exercitus salutem, tum victoriam suam Christianorum precibus acceptam retulit. Commemoratur quidem hoc factum in historiis gentilium: sed Christianorum precibus impetratum subticent, ut *Eus.l.5. cap.5.* indicat. *Suidas* scribit, fuisse in exercitu M. Antonini Julianum Chaldæum, qui copiis siti laborantibus nubes provocarit, quæ in imbres illicò resolutæ sunt. Idem, alios hoc beneficium ad Arnuphim quendam philosophum Ægyptium

ptium referre indicat, in qua opinione & Dion est, qui hunc
A philosophum, seu magnum Ægyptium scribit hoc miraculi præstitisse, invocato Mercurio. Notum & Claudiani epigramma est, quo testatur tributum hoc divinum, & cœleste beneficium (odio Christiani nominis) magicis artibus moribusque, ac probitate Imperatoris Marci.

QUINTIANUS Avernorum Episcopus, cùm quodam tempore civitas sicitate nimia laboraret, supplicationes ante Ascensionem ad opportunam impetrandam pluviam vetere ritu Ecclesiæ celebravit. Die verò tertia portæ urbis appropinquantem cives rogarunt, ut ipse precationem ad Deum pro impetranda pluvia faceret: se enim confidere, illo orante, Deum extemplò aquam ubertimam effusurum. Tum ille prostratus, in hunc modum oravit: Si clauso cœlo pluviæ non defluxerint propter peccata populi, & conversi deprecati fuerint faciem tuam, exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum. Atque his dictis, ecce repentè nubibus cœlo effusis, salutaris pluviæ humor excussus est. *Sigon. lib.16. Imp. occid.*

MORBI DEPELLENDI.

B EZECHIAS Rex, cùm ægrotanti sibi diem extremum imminere per Prophetam Isaiam audisset, flendo atque orando impetravit vitæ propagationem: vixitque ultrà, quàm vixisset, si sic non egisset, quindecim annos. Argumento est, verè pœnitentes non esse morti obnoxios, sed vitæ destinatos æternæ, dicente Domino: Nolo mortem morientis, convertimini, & vivite.

SAULUS, qui posteà Paulus, ad terram prostratus, & excæcatus, surrexit, & Damascum veniens, orare cœpit, & tribus diebus nihil comedit. *Act. 9.*

JACOBUS Zebedei filius, dum Herodis Agrippæ jussu decollandus duceretur, paralyticum in via jacentem saluti restituit. Et cùm spiculatoris gladius cervici suæ imminet, necis propriæ oblitus, pro alterius sanitate oravit. Utrumque autem vera caritas faciebat, ut & proximi misereretur, & pro Christo mori non timeret. *Marulus lib.2. cap.4. & Sabellicus lib.2. cap.5.*

Duo cæci secus viam sedentes, cùm post Jesum clamitarent, misericordiam implorando, increpabantur, ut tacerent: At illi magis clamabant. Perseverabant ergo in cla-
C moribus piis, & quòd volebant, assecuti sunt. *Marul. lib. 5. cap.8.*

BARNABAS Apostolus Cypri aliquandiù commoratus, morbo affectos Evangelio Matthæi manuscripto tangens curavit, eum precatus, cujus religionem astruebat curando. *Marulus lib.2. cap.4.*

THOMÆ Didymi deprecatio Sinticæ oculis captæ visum re dintegravit. Idola lapsu præcipiti in pulverem redegit: ut ostenderet simulachra gentium opera esse manum hominum. *Marul. lib.2. cap.4. & Sab. lib.2. cap.5.*

JUDAS THADÆUS, Abagarum Medorum Regem ab elephantiæ morbo liberavit, credentem baptizavit, corpus vitio, animum erroribus expians, atque emundans. *Marul. lib.2. c.4.*

LIBEROS CONSEQUENDI, STERILITATIS DEPELLENDÆ.

ABRAHAM orante, Abimelech Geraræ Regis uxor, atque ancillæ, cùm antè steriles essent, prolem diù optatam susceperunt, & matrum nomine lætatæ sunt. Et nos, si dignè deprecati fuerimus Dominum gratia ejus repleti, exuberabimus
D prole virtutum. *Marul. lib.2. cap.2.*

ANNA Elcanæ conjux, diutinæ sterilitatis opprobrium, cùm Deum orasset: fœcunditate compensavit. Genuit primò Samuelem, genuit deinde filios tres, duasque filias. Phenenna verò altera Elcanæ uxor, consorti suæ semper infensa, post susceptos liberos parere desiit, & in idem vitium, quod illi petulanter obiicere consueverat, ipsa incidit. Denique sterilis peperit plurimos, & quæ multo habebat filios infirmata est. Ultio enim superbiam, orationem sequitur gratia, *Marul. lib. 2. cap.2. ex 1. Reg.1.*

Monachus quidam precibus prolem Zocomo principi Saracenorum in Christum credenti impetravit. *Sozom. lib.6. cap. 38.*

Cum THEODORETI mater ad Macedonium Eremitam accessisset, pollicitus est vir ille divinus se pro ea preces concepturum, & eam filium accepturam (anteà enim erat sterilis) quem Deo dicaret. Illa autem rogabat tantummodo, ut salutis æternæ fieret particeps, & à gehenna liberaretur. Præter hoc, inquit, liberalis, & magnificus Deus tibi dabit filium. Iis enim, qui purè, & sincerè petunt, duplices largitur petitiones. E
Illinc reversa est mulier, afferens promissi benedictionem. *Theod. hist. Sanct. patrum vita 13.*

DÆMONIS EXPELLENDI, DEPELLENDI.

BARTHOLOMÆI Apostoli oratio obsessos à dæmonibus liberavit. Polemi Indiæ Regis filiam lunaticam, mentis compotem fecit. *Marul. lib.2. cap.4. & Sab. lib.2. cap.5.*

MARUTHAS Episcopus, legatione ad Persas functus, filium Isdigerdis Regis orando à dæmonio liberavit; per quod major fidei gloria accrevit. *Sigeb. in Chron.*

Anselmus Episcopus, cùm fratrem quendam ex languore morti jam proximum pavore, atque horrore concuti animadvertisset, causam rogavit. At ille respondens, duos ibi lupos adesse dixit, rabida torvitate terribiles, minaciterque ringentes: & inde se timere, ne dilaniaretur ab eis. Tunc Episcopus pro ipso Dominum oravit, ac post orationem eodem fratre referente audivit, feras illas bestias discessisse; fugatas flamma ex ore orantis in fulguris morem promicante. Hoc demùm remedio frater pavoris molestia liberatus, ac securior factus F
ad Dominum migravit. *Marulus lib.3. cap.4.*

In pestilentia, quæ sub Gregorio Magno Romanũ populum magna ex parte consumpsit, frater quidam in Monasterio, necessitate potiùs, quàm voluntate vivens, secutus fratrem, percussus in inguine, est perductus ad mortem. ☞ *Consule infrà, Oratio pro defunctis.*

INCENDII RESTINGUENDI.

AZARIAS stans in medio fornacis, in quam jussu Regis Nabuchodonosoris conjectus fuerat, orans cum sociis liberatus est. *Danielis* 3.

D. MARTINUS cùm media hyeme in visitatione noctu in cujusdam templi sacrario subiectis paleis ad quietem se composuisset, procul accenso foco, diabolus ignem paleis injecit. Periclitabatur Martinus, neque egredi poterat, & jam vestes quoque aburebantur. Ad preces ergo confugit, & subitò restinctum est incendium, dum fratres effractis foribus ipsum eriperent. *Severus Sulp. in prælim. epist. vitæ B. Martini.*

CÆSARIUS Arelatensis Episcopus à Rege Alarico indicta causa Burdegalam relegatus, cùm nocte quadam ingens fortè G
conflatum incendium esset, precibus civium fatigatus, ignem tum, cùm maximè sæviebat, præcatione ad Deum facta, restinxit, ex quo ingentibus ab omnibus cumulatus est laudibus. *Sigon. lib.26. Imp. occid.*

TERRÆMOTUS SISTENDI.

Anno CCCCLXII. ut Jornandes in Annalibus prodidit; crebris in Gallia portentis est laboratum: villæ, homines, pecudes, passim de cœlo tacti, & quod horrorem majorem incussit, duo juvenes adusti cadaveribus concretis inventi; Viennæ mœnia frequentibus terræmotibus conquassata, ignibusque accensis caducæ culminum cristæ superjecto favillarum monte sepultæ: quin etiam lupi, ac cervi portas urbis ingressi, atque impunè per forum vagati, terrorem ingentem in hominum mentibus excitarunt. Quæ mala, quòd cœlestem ostentare iracundiam viderentur, expiare cupiens Mamertus urbis Episcopus, vir sanctissimus, vetere Ninivitarum exemplo, ad Deiopem suppliciter implorandam confugit. Cùm autem sævientibus adhuc prodigiis populus fermè totus ex urbe formidine consternatus cessisset, ac H
Resurrectionis diem, tanquam certum eorum malorum terminum, suspensis animis, expectaret: factum est, ut in Vigiliis dum res divina peragaretur, repentè Palatium urbis exarserit. Quo pavore perculsis, ac templo egressis, qui aderant, omnibus, quòd planè sibi persuaderent, aut urbem totam hoc incendio flagraturum, aut dehiscentem terram omnia uno haustu esse devoraturam, rursus Mamertus antè altare prostratus, cum gemitu, & lachrymis Dei misericordiam invocavit. Itaque quod incendium ingens vis aquæ certatim allatæ lenire non potuerat, repentè ipse piarum lachrymarum ubertate restinxit: Ea de causa, adventante Ascensione, in qua supplicationes Deo pro impetrandis imbribus, aut serenitate adhiberi, sed frigidè, ac planè oscitanter, lapsa vetere disciplina, solebant: eadem populo indixit, sed novam orandi, jejunandi, & erogandi rationem, prisco ritu revocato, invexit. Qua religione divinum numen placatum, finem tandem cœlestibus prodigiis, ac territamentis imposuit. Quod

Sidonius

Sidonius ad ipsum Mamertum scribens prodidit. *Sigon. lib.* 14. *Imp. occid.*

Anno salutis DCCCI. pridie Kalendas Maii, hora noctis secunda, maximo terræmotu Italia tota concussa est, multa ubique ædificia, sed in primis Romæ tectum Basilicæ S. Pauli procubuit. Ob id institutum est à Leone III. ut præcedentibus tribus Ascensionem diebus supplicationes ad diversa templa haberentur: quam rem Mamertus Episcopus Viennensis in Ecclesiam suam primus intulerat, seque pariter ingentis quondam terræmotus periculo liberaverat. *Sigon. lib.* 4. *regni Ital.*

NAUFRAGII AVERTENDI.

Gregorius Nazianzenus adolescens, Alexandria Athenas navigans, in summo periculo Dei opt. max. imploravit opem: eamque impetravit, quamvis nondum baptizatus esset. Omnibus ergo præsenti miraculo attonitis, Christum prædicare incepit, eosque convertit. *Greg. Nyssen.*

Romualdus Abbas, ordinis Camaldulensis auctor, cùm à Parentio Liburniæ oppido solvens navigaret, & navis magnis fluctibus jactaretur, omnesque, qui cum eo erant, de salute desperarent: pelagi, ventorumque sævitiam oratione placavit, illum utique deprecatus, qui ventis, & mari imperat, & obediunt ei. *Marul. lib.* 2. *c.* 2.

Germanus Antisiodorensis Episcopus, Britanniam versus ad hæreses extirpandas contendens, unà cum Lupo Episcopo Trecasiano: dum navis, qua vehebantur, undis impetu ruentibus illisa tantùm non aperiretur, manus ambas in cœlum sustulit, atque oravit. Et continuò ponentibus ventis æquatum salum tranquillum illis præbuit iter, cursuque, quò volebant, satis prospero pervenere. *Idem.*

Pharao Meldensis Episcopus, submersam in flumine simul cum vectoribus navim miseratus, cùm in ripa se prosternens Deum orasset, ab imo fundo in summas aquas enatare fecit, salvis omnibus, qui in ea erant. Tale quid & Apostolo Paulo evenisse credimus, qui ad Corinthios scribens, ait: Ter naufragium feci, nocte, & die in profundo mari fui. *Idem.*

INUNDATIONIS COMPESCENDÆ.

Gregorio Papa crebris Litaniis Deum deprecante, post dies novem aquarum inundatio repressa est, *Sigebert. & Beda.*

Cùm Andreas Hungariæ Rex Damiatam ad Nilum urbem obsideret, & jam hyems media defluxisset: Nilus, qui per id temporis inundare non solet, maris inflatione, quam Euri væsania fecerat, usque adeò intumuit, ut Christianorum castra penitùs inundarit. Quare miserabilis impedimentorum æquè, ac commeatuum jactura facta, annona inundatione corrupta. Cui malo Rex, ut prospiceret, jejunium publicum indixit. Quo vix exacto, mare desedit, & tranquillitas magna successit. *Bonfinius lib.* 7. *Decad.* 2.

FLUMINUM DERIVATIONIS.

Fridolinus Viator dictus, cùm subinde ab infidelibus infestaretur, juxta Saccingum Rheni oppidum, precibus ad Deum Rheni alveum mutavit. ☞ *Vide Tit. Doctorum Eccles.*

Fantinus Syracusanus, Tabritanam Calabriæ civitatem accedens, Balzanio diviti quidem viro, sed gentili pro servo se locavit, ut haberet, quo aliorum inopiæ subveniret. Dominus equos, quos illi pascendos commiserat, strigosiores cernens, cùm eum persequi cœpisset, præmissa oratione Motabrum flumen, quo interludebatur, virga percutiens divisit, & persequentis iram evasit. Persecutor præstupore jam placatus obsecravit hominem, ut se quoque eodem modo transire faceret: percussoque iterum fluvio, idem secutum est miraculum. Tunc cognita Christi virtute Balzanius credidit, & simul cum multis baptisma suscepit. Sicque Fantinus orando mortis periculum effugit: & iis, quos effugerat, vitam, quam non habebant, dedit. *Marul. lib.* 2. *cap.* 2.

CONDEMNATIONIS EFFUGIENDÆ.

Cùm consilio Aman omnis Judæorum gens in extremo versaretur periculo, Mardochæus jejunium triduanum indixit Susis, & populum precibus indulgere jussit. Esther quoque regina supplicabat more patrio, humi in faciem prostrata: & amicta vestitu lugubri, per triduum abdicato cibo, & potu, & omnibus deliciis: rogabatque, ut miseratus daret ei apud Regem, quali maximè opus esset facundiam, & majorem, quàm unquam anteà formæ gratiam, ut modò utroque permotus Rex ad clementiam, & in ipsam fieret indulgentior, & popularibus suis in extremo periculo constitutis patrocinantem æquis oculis aspiciat. *Esther.* 4.

Susanna judicum sententia morti jam addicta, exclamavit ad Dominum, & Dominus exaudivit vocem ipsius. Spiritum quippè Danielis pueri suscitavit, qui malignos accusatores falsitatis convictos talionem subire compulit, plebe illos iisdem ipsis lapidibus obruente, quos in Susannam apprehenderat. Duo erant, senes erant, Presbyteri erant, numerus, ætas, dignitas verbis fecerat fidem. Nisi invocatus præstò affuisset, qui manifestat occulta cordium, pudicitia infamiam, innocentia necem passa fuisset. *Marul. lib.* 2. *cap.* 2. *ex Danielis* 13.

OPES CONSERVANDI.

Heliodoro templum spoliare conante Hierosolymitanum, Judæi Sacerdotes, Onia Pontifice præeunte, ante altare, cum stolis Sacerdotalibus invocabant de cœlo eum, qui de depositis legem posuit, ut iis, qui deposuerunt, ea salva custodiret, Universæ etiam mulieres, protensis manibus in cœlum, deprecabantur, & auxilium eis affuit. *Lib.* 1. *Machabæorum, cap.* 3.

ELECTIONIS DIRIGENDÆ.

Post Ascensionem Domini Discipuli statuerunt Josephum, & Matthiam, & orantes dixerunt: Tu, Domine, qui nosti corda omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum accipere locum Apostolatus, è quo Judas excidit. Ductis sortibus, prodiit Matthias. *Actor.* 1.

Cùm dixisset Spiritus Sanctus, Segregate mihi Barnabam, & Paulum ad opus, ad quod assumpsi eos, Apostoli jejunantes, & orantes, eisque manus imponentes, dimiserunt illos. *Actor.* 13. & 14.

DIEI PROROGANDÆ.

Josue orante, Sol, & Luna immoti steterunt, donec ipse ulciscereturse de inimicis suis. Non fuit (inquit Scriptura) ante, & posteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel. *Marul. lib.* 2. *cap.* 1. & *Sab. lib.* 17. *cap.* 5.

VICTORIÆ.

Israelitis contra Amalechitas pugnantibus plus effecit Moyses orando, quàm Josue pugnando. *Exod.* 17.

☞ *Vide de Iisdem infrà Tit. sequent.*

Arad Rex Judæorum pugnans contra Israelitas, ducebat inde prædam. At illi voto se Domino obligantes, vicerunt eum, & urbes hostium subverterunt. *Num.* 21.

Josaphat Rex Judæ, irruentibus adversùm se Moabitis, & Ammonitis, & Idumæis, indixit jejunium, atque oravit: omnesque de Juda steterunt coram Domino cum uxoribus, ac liberis, & in terram proni adoraverunt. Cantores præcedentes exercitum, Deo laudes personabant: cùm illi, quos pertimuerant, in seipsos converti mutuis vulneribus concidere. Josaphat, & Juda diripuerunt spolia, & gratias Deo egerunt, quòd sic pro ipsis depugnasset. Cor enim contritum, & humiliatum non spernit: In tribulatione, inquit, invocasti me, & liberavi te. *Marulus lib.* 4. *cap.* 9.

Asa Rex Judæorum, cum exigua manu obviàm procedens Zaræ Æthiopum Regi, cujus exercitus decies centum millium hominum armatorum, & trecentorum curruum erat, invocavit Dominum: & repentè lymphatico quodam pavore conterriti Æthiopes terga verterunt. Persequente eos Asa, à Marefa usque Gerara, ad internecionem cæsi sunt. *Ex* 2. *Paral. Marulus lib.* 2. *cap.* 2.

Judæi, Holoferne Nabuchodonosoris duce contra eos ducente, precibus, & jejuniis intenti cum parvulis, & pecoribus suis latera centone cingebant, capita pulvere conspergebant, & Deum pro auxilio invocabant. Quorum devotionem Joachim Pontifex obiens confirmabat. Exaudivit Dominus, & per Judith viduam eos liberavit. *Judith.* 4.

Judith ad Holofernem profectura dixit Presbyteris: Orate, ut firmum faciat consilium meum Deus. Nihil aliud fiat pro me nisi oratio ad Dominum. Amputatura caput Holoferni, oravit cum lacrymis ad lectum. *Judith.* 8. & 13.

Judæ Machabæi orationes magis, quàm arma de hostibus triumpharunt. Sæpè enim peracta prece solius Dei auxilio fretus ad bellum egrediens, parva manu ingentes copias vicit. Cum tribus millibus virorum penè inermium Gorgiæ exercitum quinque millium peditum, & millè equitum, nec minis armis, quàm viris munitum, ad Amaum fudit, fugavitque: & tribus millibus eorum cæsis, victor est reversus. Iterum cum decem

decem millium manu profectus in Bethoron, Lysiam superavit: cujus copiæ erant LX. millia peditum electorum, & quinque millia equitum I. *Machab.* 4. Rursum in Bethoron non plus, quàm tria millia bellatorum secum habens, cum validissimo Nicanoris exercitu feliciter conflixit. Ea siquidem pugna adversariorum castra fuere eversa, Nicanor interfectus, reliqui fugientes à persequentibus cæsi.

Videns Jonathas, quòd omnes (exceptis paucis,) declinquebant eum pugnantem contra alienigenas, scidit vestimenta sua, & oravit: posteà victoriam obtinuit. I. *Machab.* 11.

Osuvius rex Northanymbrorum, facto Deo cœli voto, Pendæ Merciorum regi occurrit cum exercitu non multo, & magna cum strage Pendam peremit. *Sig. in Chron.*

Jacobus Nisibensis Episcopus (Nisibis autem ab Assyriis Antiocha Mygdoniæ dicitur) cùm Sapor Persarum rex Nisibin, obsideret, precibus à Deo ex turre quadam innumerabilem multitudinem erabronum, & culicum impetravit, quibus elephanti, & jumenta in furorem acta, & totus exercitus hostium in turpem fugam conjectus est. *Theod. lib.* 1. *cap.* 7. & *lib.* 2. *cap.* 30.

Maselcerlis Africæ Comes, cùm adversùs Gildonem fratrem rebellem Imperatori bellum suscepisset, suasu Theodosii Magni orationibus assiduis ad Dominum clamitans cum sacerdotibus è Capraria insula accersitus, exauditus, quinque pugnatorum millibus plusquam XXC. hostium millia fugavit, & interfecit. *Fulg. lib.* 1. *cap.* 1. *ex Paulo Diacono*, & *Ivone in Arcadio.*

Constantinus Magnus, contra Maxentium tyrannum potentiss. Romam movens, dum patris sui Constantii Deum, ut se sibi revelaret, & felicem successum belli largiretur, invocat, repentè post meridiem, Sole jam ad vesperam inclinante, visum mirabile, divinumque conspexit. Vidit autem Crucis signum ex lucis splendore confectum in cœlo. Soli imminens, quod his verbis cingebatur: In hoc vince: atque illud idem exercitus, qui cum eo erat, plenus stuporis est conspicatus. Hanc rem Eusebius idem se ejus narrantis, & jurejurando affirmantis ore excepisse, post pacatum imperium prodit: & Artemius miles se vidisse, ad Julianum Augustum scribens confirmavit. Constantium igitur hoc viso fluctuantem, & quidnam id sibi vellet, anxiè perquirentem, superveniens nox oppressit. In quiete inde species viri humano habitu augustioris cum signo Crucis præmonstrato se obtulit, præcipientis, ut signum ei, quod in cœlo aspexerat, compar efficeret, idque in præliis adhiberet: nam ejus præsidio victoriam relaturum. Ubi verò illuxit, rei stupore attonitus, amicos properè advocavit, ac sedens inter eos visum exposuit: inde ex eorum consilio, sacerdotes, interpretesque Christianæ legis adhibuit, rogans, ut quid de diurno signo, quid de nocturno viso sentirent, ex fide exprimerent. Cui illi constanter responderunt: Eum, cujus speciem in quiete vidisset, Christum esse, Dei unius Filium unigenam. *Sigon. lib.* 1. *Imp. occid.*

Ruffinus mirabilem illam Theodosii victoriam contra Eugenium tyrannum, & Arbogastem, precibus ejus, quas ad Deum fudit, adscribit *lib.* 2. *cap.* 34. Narrat enim, compertum esse, quòd post illam Imperatoris vocem (Tu omnipotens Deus nosti, quia in nomine Christi filii tui ultionis justæ, ut puto, prælia hæc suscepi: si secus, in me vindica. Si verò cum causa probabili, & in te confisus huc veni, porrige dexteram tuis, ne fortè dicant gentes: Ubi est Deus eorum (vendetus ita vehemens exortus sit, ut tela hostium in eos, qui jecerant, retorqueret. *Sozom. l.* 7. *c.* 34. & *Niceph. lib.* 12. *c.* 39. *Socrat. lib.* 5. *c.* 25. Milites nobis, qui aderant, retulerunt, inquit *D. Aug. lib.* 5. *de Civ. Dei.* extorta sibi fuisse de manibus quæcunque jaculabantur, cùm à Theodosii partibus in adversarios vehemens ventus iret, & non solùm quæcunque in eos jacebantur, concitatissimè raperet, verùm etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Unde & Poeta *Claudianus*, quamvis à Christi nomine alienus, in ejus tamen laudibus dixit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes: tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Mortuo Honorio occidentis Imperatore, Joannes Amanuensium Imperialium præfectus, dignitatis insolentia, missis ad Theodosium legatis, ut in Imperii consortium reciperetur petiit. Theodosius verò Junior, Arcadii F. conjectis in custodiam legatis, in Occidentem misit Ardeburium ducem, ut Reip. opem ferret, & Joannis ambitionem, atque insolentiam reprimeret. Sed ille navigatione infelici in manus tyranni venit. Quæ res dolorem Theodosio attulit, qui, rebus in magno politis discrimine, ad orationem confugit, & miraculosam Dei liberationem ejusmodi impetravit, ut deductus ab angelo in pastoris specie Aspar Ardeburii captivi filius cum exercitus parte per stagnum Ravennæ adjacens, in qua civitate Joannes agens ducem captum tenebat, invium planè, & à nemine unquam transitu superatum, tyrannum vicerit, & patrem liberarit. *Socrates lib.* 3. *cap.* 23. *Paulus Diac. lib.* 14.

Heraclius Imp. Cosrois regis Persarum armis pressus, omnes pacis conditiones aspernantis, ad divinam opem confugit, solenni more supplicans, & supplicationibus jejunia, atque orationes addens. In hunc modum fide, speque armatus, cum immani hoste duobus prælis conflixit, ac victoriam reportavit. *Fulg. lib.* 1. *cap.* 1.

Clodoveus Francorum rex, anno CCCCXCV. arma Alemanis trans Rhenum habitantibus inferens, cum lectissimo Francorum robore adversùs eos ire contendit. Qua re præmonitus, Alemani egregiè instructi, & ipsi circa ripas Rheni se objecerunt. Ita, commisso ad Tolbiacum oppidum prælio, acriter à Francis, Alemanisque pugnatum est: ab illis, ne avitæ belli gloriæ ab his, ne patriæ libertatis possessionem amitterent. Cùm autem, flagrante certamine, ac multis utrinque cadentibus, Clodoveus suam inclinare aciem cerneret, neque ejus sustinendæ humanam ullam rationem iniret: tum oculis in cœlum sublatis, lachrymabundus: Christe potens bellorum, inquit, polliceor, me sacra tua, quæ adhuc respui, cum meo populo suscepturum, ac tibi ex animo serviturum, si tuo beneficio victoriam de hostibus Alemanis retulero. Qua oratione completa, repentè Alemani infesto quodam quasi fulmine tacti, Francis terga dare cœperunt, & victoriam, quam jam propè habebant in manibus, tradiderunt: mox, cùm regem suum in acie cecidisse animadverterent, pacem ab illo quoque supplices petierunt. *Sigonius lib.* 6. *Imp. occid.*

Scotis monachis mos fuit, exorto bello, simul cum rege exire, & orando pugnare: sicut apparet ex bello, inter Edilfredum Northanymbrorum, & Ean Scotorum regem, in quo centum, & viginti monachi trucidati leguntur *apud Bedam lib.* 2. *cap.* 2.

Stephanus Hungarorum rex, subditos suos ad Christianam religionem humanitate invitaturus, cùm non succedere rem animadverteret, aliquantulum severitis in reluctantes egit. Quod cùm faceret, plerique principum, duce Cupa, in eum conjurarunt. Stephanus coacto exercitu ad Geram amnem cum illis conflixit dubio marte. Inde conversus ad preces, vix facto arcuti fine, Vencellinus Cupæ caput abscidit. Quo consternati reliqui milites palantes aufugerent. *Bonfin. lib.* 1. *Decad.* 2.

Helvetii hunc morem à majoribus traditum constantissimè retinent, ut ante conflictum proni cœlestem pacem ter expetant. Atque utinam, quàm in hac parte religiosi sunt, tam quoque in bellis suscipiendis majorum suorum vestigia sequerentur.

Ignominiæ Depellendæ.

Sara Raguelis Israelitæ filia unica, Ecbatanis habitantis, dæmonum regi Asmodæo obnoxia fuit, ita ut septem viris locata fuerit, quos prima nocte nuptiarum Asmodæus interfecit. Itaque puellam non Saram, id est, reginam, sed Zaram, hoc est, adversarium dici debere, gentiles ejus irridendo asserebant. Ancilla quinetiam Saræ calamitatem hanc exprobrabat, venefica eam appellans. At Sara triduo jejunans, & orans in patris sui cubiculo, ut vel hoc malo liberaretur, vel mortem obiret, exaudita est. Et Raphaelis Angeli ductu Tobias junior Ninivita Saram uxorem duxit. *Tobiæ* 3. & *seq.*

Tobias cæcus, senex, & pauper, Ninive habitans, cùm ab amicis, atque etiam ab uxore irrideretur, & objurgaretur, ad Dominum clamavit, & exauditus est, ita ut Raphaelis Angeli ministerio visum receperit, & filio uxorem cum dote ex Media acquisiverit. *Tobiæ* 2. & 3.

Gratiæ conciliandæ.

Nehemias Xerxis regis pincerna apud regem pro Judæis intercessurus, ut illis in Judæam redire liceret, & Hierosolymæ muros dirutos restaurare: Deum supplex oravit, ut sibi gratiam regis conciliaret ad hoc impetrandum. 2. *Esdræ* 1.

Discordiæ sedandæ.

Clotildis regina Francorum, de prælio Childeberti, ac Theode-